10871/c

88662

STIRPIUM RARIORUM
IN
IMPERIO RUTHENO
SPONTE PROVENIENTIUM
ICONES
ET
DESCRIPTIONES

COLLECTAE

AB

IOANNE AMMANO M. D.

ACAD. IMPER. SCIENT. MEMBRO ET BOTANICES PROFESSORE, REGIAE SOCIETATIS LONDINENSIS SODALI.

INSTAR SUPPLEMENTI AD COMMENTAR. ACAD. SCIENT. IMPER.

PETROPOLI, EX TYPOGRAPHIA ACADEMIAE SCIENTIARVM.
cIↄ Iↄ cc xxxix.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRAEFATIO.

In publicum tandem prodit tractatus jam ante biennium congeſtus, rariores in Imperio Rutheno ſua ſponte naſcentes plantas continens, quae poſt editas Cl. Buxbaumii Centurias in variis magni hujus Imperii prouinciis repertae ſunt.

Plantarum viuarum deſcriptiones partim Clariſſimorum Virorum Meſſerſchmidii et Gmelini obſeruationibus debentur, partim a me ex iis plantis, quas ſemina ab vtroque dum in Sibiria verſarentur, atque etiam a Cl. Hainzelmano,

no, cum per Tatariam iter faceret, mihi transmiſſa in horto Academico protulerant, conſtitutae ſunt. Quae vero deſcriptiones ex plantis ſiccatis erutae fuerunt, vtplurimum non niſi differentiam exhibent, ſi qua inter illas et proxime accedentem jam cognitam ſpeciem in ſtructura et forma erat notabilis. Plantae denique, quas hic ſine vlla explicatione commemoraui, vti in Diario et Xenio Iſidis Sibiricae Meſſerſchmidii recenſitas inueneram, eam ob cauſam huic opusculo inſertae ſunt, vt vlteriori inquiſitioni anſam praeberent.

Gmelinianas et Meſſerſchmidianas deſcriptiones non niſi neceſſitate coac-

tus, quibusdam in locis immutaui. Et ſi vero omni, qua poſſum, accuratione plantas, quae in horto Academico creverunt, deſcripſerim, ſatius tamen exiſtimaui illas dare deſcriptiones, quas in locis, vbi ſponte naſcuntur plantae, ipſi inuentores exhibuerant.

Figurae fere omnes a pictoribus in itinere Kamſchatkienſi ad viuum delineatae fuerunt.

Abſoluto jam opusculo plures plantae e ſeminibus Tataricis et Sibiricis in horto Academico enaſcebantur, quas antea aut non videram omnino, aut non niſi ſiccatas tractaueram. Harum

igitur omnium accuratas deſcriptiones, iconibus ornatas in alteram partem reſeruo.

Irrepſerunt plantae nonnullae, quae in Ruſſia ſponte non proueniunt, vt duae Melonis ſpecies, Triticum rufum; hunc tamen errorem lector beneuolus facile, vt ſpero, condonabit.

Animus initio non erat imperfectum hunc libellum in lucem edere, ſed paullatim omnia, quae tam a me, quam ab aliis obſeruata fuerunt, colligere et in ordinem adducere, vt tandem ex plurium annorum obſeruationibus perfectius et amplius opus enaſceretur. Plu-

ribus vero de cauſis ſententiam mutaui; ſpero enim Botanophilis non ingratum, quantumuis imperfectum huncce tractatum fore, ex quo conſpici poſſit, quid hic locorum in re herbaria praeſtitum ſit et quantum adhuc praeſtari debeat.

Ii, qui ad inueſtigandas res medicas et naturales in Sibiriam miſſi ſunt, partes ejus meridionales et Dauriam praecipue peragrauerunt. Gmelinus ſolus ſecundo flumine Lena Iacutum vsque penetrauit, ex cujus obſeruationibus et ſiccatis plantarum exemplaribus nuper huc miſſis facile conjici poteſt, ad ripam ingentis hujus fluuii et in proxime adjacentibus plagis plures frutices

et

et herbas, ad hanc vsque diem Botanicis plane ignotas reperiri, quam in omni reliqua Sibiria. Quantum non prouentum igitur ex regionibus magis Orientem verſus remotis, praeſertim ex ora Kamſchatkienſi, quae vltimus eſt Aſiae ſeptentrionalis angulus, exſpectabimus?

PETROPOLI
d. 18. m. Iul. cIↄ Iↄ cc xxxix.

IOAN. AMMAN.

STIRPIUM RARIORUM
IN
RUTHENORUM IMPERIO
SPONTE PROVENIENTIUM
ICONES ET DESCRIPTIONES

1.

GENTIANA cruciata, ſupina, minor, anguſti-
folia, floribus azureis.

A vulgari Gentiana cruciata *C. B. P.* haec differt foliis anguſtioribus, vix vnciae trientem latis, breuioribus, paucioribus, ad longiora interualla cauli adhaerentibus; floribus majoribus pulchre azureis. Radix pro plantae magnitudine, quae multo minor eſt ac in vulgari, palmum vix ſuperans, valde craſſa eſt, longa, non diuiſa, fuſca, parum fibroſa, ſuperius emarcidorum et putrefactorum foliorum relictis neruis fibrisque penitus obtecta.

Ex Dauria Gmelinus miſit.

2. GENTIANA caerulea, florum marginibus piloſis, foliis anguſtiſſimis, gramineis.

Gentiana caerulea oris piloſis Inſt. r. h. 81, paulo elatior eſt planta. Folia vix dimidiam lineam lata, ortu oppoſito ad vncialia aut ſeſcuncialia interualla cauliculis adnaſcuntur anguloſis, ima parte purpuraſcentibus, ſuperne pallide viridibus, ſuntque pollicem circiter cum dimidio longa, et aequalis in vtroque extremo latitudinis. Verſus medium cauliculorum ex foliorum alis egrediuntur pediculi ſeſcunciales, tenues admodum, foliolis aliquot, reliquis ipſo cauliculo adnaſcentibus ſimilibus quoad ſtructuram, ſed anguſtioribus, breuioribus et acutioribus ornati, flores in ſummitate gerentes vtplurimum ſingulares, amplos, caeruleos, quadrifidos, cum ſegmentorum marginibus piloſis, calyce contentos monophyllo, tubulato, in aliquot ſegmenta acutiſſima diſſecto. Extremum cauliculorum terminatur in florem reliquis ſpecioſiorem, majoremque.

In Dauria obſeruauit Gmelinus.

3. Aliam adhuc praecedenti valde ſimilem ex eodem loco habemus, floribus quantum in ſicca diſcernere licet, luteis, minoribus, in extremo cauliculi velut in vmbellam congeſtis, quam Meſſerſchmidius in Diario ſuo Germanico idiomate ſic deſcribere videtur: Quadruncinata foliis et facie Gentianae caeruleae oris piloſis, flore luteo radicem habet albam, tenuem, rectam, ſuperne quatuor fibras validas, crucem efformantes, emittentem, horizontali ſitu diſpoſitas, ſicuti in plus quam decem diuerſis hujus plantae ſpeciminibus obſeruaui. Caulis pedalis aut paulo longioris erat altitudinis, fere teres, aut parum quadrangulus, duriuſculus, fragilis, ad breuia interualla geniculatus; ſingulis autem geniculis adnaſcebantur

folia

folia duo conjugata, duas vncias longa, tres lineas cum dimidia lata, apice acuta, ambitu minime crenata, vtrinque aequaliter viridia, molliuſcula, ſecundum longitudinem venoſa. E ſingulis foliorum alis ſimul ſurgebat ramulus itidem geniculatus, foliisque veſtitus, e quorum ſemper ſinubus alii ramuli ſenſim ſenſimque minores egrediebantur, ſinguli floſculum gerentes vnicum. Tot itaque floſculi erant quot ramuli, circiter 10 ad 15, coloris lutei, pyramidati, ſuperne in quatuor ſegmenta clauſa ſemper diſſecti. Ad baſin pyramidatorum horum floſculorum tubuli quatuor conſpiciebantur, extremo clauſi, verſus internam floſculorum ſuperficiem aperti, vnguis aut claui forma, vt in Linaria vel Delphinio. Caeterum monopetali erant, integre decidui. Calyces, quibus floſculi inſidebant, in quatuor foliola acuta diuiſi erant, floſculis inter tubulos modo memoratos appreſſa. Capſula ſeminalis in centro floris recondita oblonga et acuminata erat, vt in aliis Gentianae ſpeciebus, rhomboidalis, apice, in duas partes dehiſcens, vtrinque duplici ſeminum ordine foeta Semina ipſa adhuc alba erant, nondum forte matura, forma et colore ſeminis Papaueris albi, ſed paulo majora, axi medio capſulae ſeminalis adhaerentia eo ordine, quo ſupra diximus. Odor et ſapor omnino herbaceus erat. Ad flumen Bielo Yjus menſe Iulio florebat. Eodem poſtea ab Auctore in deſertis prope Dalai Nor ſeu Buram lacum in Dauria quoque obſeruata eſt.

Quantum haec differat a Gentiana Alpina pumila, flore aureo Obs. in Barrell. nº. 23 deſcriptiones perlegenti ſatis ſuperque patebit.

4. GENTIANA humilis, aquatica, verna Gmel. Tab. 1. Fig. 1.

Hanc Gmelinus ita deſcribit: ſtatura et habitu multum conuenit cum Gentiana Alpina, humili, centaurii minoris folio Inſt. r. h. 81. E radice tenella albicante, fibrillis tenuiſſimis terrae inhaerente, coliculi aliquot tres vel quatuor pollices alti ſurgunt, mox a radice foliola duo ſubrotunda, ex aduerſo bina, craſſiuſcula, acuto fine terminata, non neruoſa, promentes. Ejusdem generis foliola coliculos per breuia interualla cruciatim ad ſummitatem vsque copioſe inueſtiunt, ſuperiora vero in juniore adhuc planta plerumque nondum euoluta apparent, licet flores plantae ſe jam aperuerint. Singulos coliculos flos terminat vnicus, in quinque ſegmenta acuta expanſus, cum quibus vtrinque breuiores fimbriae in circulum diſpoſitae cohaerent, interne dilute caeruleus, albuſue, externe e viridi et caeruleo alboue varius, ſegmenta quippe floris majora viridia ſunt, fimbriae eorum dilute caeruleae albaeue. Calyx longus, coſtis quinque extantibus ſecundum longitudinem donatus, ſuperius in quinque ſegmenta acuta fiſſus.

Occurrit paſſim in ſuperiore Vdae fluuii regione ad amnes et fontes ſub initium Iunii menſis.

Specimen ſiccum ab Auctore miſſum vix icone majus eſt.

Hujus quoque deſcriptio extat in Diario Meſſerſchmidii ſub titulo Gentianae pumilae montanae, latifoliae, flore caeruleo, vernalis, quam vtpote praecedenti pleniorem, integram adponere lubet: radice eſt capillari alba; coliculo vix bipollicari, teretiusculo, tenero, ſucci pleno, velut geniculato, in ramulos ſubinde diuaricato;

ricato ; foliolis ad ſingula internodia binis, cauſem vaginatim amplectentibus, oblongo rotundis, vix lineas duas cum dimidia longis, pallide viridibus, glabris, duas circiter lineas latis ; flore in caulis et ramulorum ſummitate ſingulari, caeruleo, monopetalo, campaniformi, tubulato, plerumque quinquepartito, ora repanda duas lineas cum dimidia praeter propter in diametro lata, laciniis acuminatis, in quarum interſtitiis laciniola acuta alia, praedito, calycique quinquepartito inſidente ; ſtaminulis quinque exiguis ; piſtillo infimam floris partem perfodiente, oblongo, abeunte in fructum ouato acuminatum, membranaceum, biualuem, ſed vnicapſularem, ſeminibus foetam plurimis, orbiculatis, planis, leuiter marginatis, axi medio affixis. Sapore et odore herbaceo, vix ac ne vix amaricante. Inter Vdinskoy et Anam fluuium menſe Majo obſeruauit hujus deſcriptionis Auctor.

Icon Gentianellae fugacis, aeſtiuae, ſtellatae, caeruleae, minoris Barrell. 103. Obs. n°. 11. quam proxime ad hanc plantulam accedere videtur.

5. CONVOLVULUS montanus, humilior, Althaeae folio, acuto et aurito, teſta ſeminis bicapſulari Meſſerſchmid. Prope Dalai Nor in Dauria.

6. CONVOLVULUS ramoſus, erectus, argenteus, minimus.

Siccum ſub titulo Conuolvuli Linariae folio humilioris Inſt. r. h. Gmelinus miſit, a quo tamen manifeſte differre, ſequens deſcriptio docebit : radix ei eſt recta, praelonga, fuſca, biuncialis aut triuncialis, val-

de craſſa pro plantae magnitudine, pauciſſimas fibras emittens; cauliculi ex vna radice duo aut tres, oriuntur, teretes, admodum graciles, duorum pollicum altitudinem vix attingentes, mox a radice in plures laterales ramulos diuiſi, ejusdem fere cujus ſunt ipſi cauliculi longitudinis, horizontali ſitu ferme diſpoſitos. Foliola, quae ex ipſa radice egrediuntur, ſemunciam circiter longa ſunt, ad baſin anguſtiſſima, apicem verſus lineam circiter lata, obtuſa vtplurimum; ea vero, quae coliculis et ramulis alternatim adhaerent ſine vllis pediculis anguſtiora adhuc ſunt, vix lineam dimidiam lata, in apicem acutum deſinentia. Flores naſcuntur in extremis ramulis cauliculisque, nec non in pediculis tenuiſſimis, vncialibus, e ſuperiorum foliolorum alis egredientibus et binis minutiſſimis foliolis conjugatis in medio veſtitis, ſingulares, majusculi, campaniformes, pallidi, radiis aliquot purpurascentibus ſtellulam pulchre exprimentibus, inſigniti, calyce contenti in plura foliola acuta valde et breuia diſſecto. Tota haec elegans plantula pilis tenerrimis, argenteis, ſerici albi adinſtar ſplendentibus penitus obtecta eſt.

Paſſim in Sibiriae et Dauriae deſertis Iulio et Auguſto menſibus floret.

Nullus porro dubito quin hic idem ſit cum Conuoluulo erecto, humili, Linariae folio incano, flore incarnato, teſtula ſeminali vnicapſulari, ſemina plerumque bina ſeruante Meſſerſchm. qui eum in deſertis Kaila Sutúh ad Urtúh riui oſtium reperit.

7. TITHYMALUS ſalicis folio anguſto, villoſo et incano, non ſerrato.

Caules

Caules huic glabri ſunt, purpuraſcentes; folia ſalignis ſimilia, ſescunciam circiter longa, trientem pollicis lata, in ambitu minime ſerrata, caulem quaſi amplexantia, aequalis fere vbique latitudinis, mollia in ſuperna aeque ac inferna ſuperficie, longiuſculis, molliſſimis et candidiſſimis pilis obſita. In deſerto Uſenſi obſeruauit Heinzelmanus.

8. TITYMALUS ſalicis folis, tenuiſſime ſerrato, glabro.

Caules hic obtinet pallidos, glabros; folia quam praecedentis latiora, vtrinque acuta, a medio ad extremum vsque ſubtiliſſime ſerrata, omnino glabra. Ex ſingulis foliorum alis ſurgit pediculus in ſummitate vmbellam gerens, ex foliolis ſubrotundis, pallide flaueſcentibus et floſculis luteis, lanuginoſis, compoſitam. In pratis circa Uſam oppidum legit Heinzelmanus.

9 RHABARBARUM folio longiori, hirſuto, criſpo, florum thyrſo longiori et tenuiori.

Semina hujus Moſcua primum pro vero et genuino Rhabarbaro miſſa ſunt. Poſtea quoque ex China accepimus. Verum cum plantae exinde enatae nondum floruerint, deſcriptionem et iconem hujus ſpeciei in alium locum reſeruamus. Quae nobis ex prioribus ſeminibus excreuerunt, Autumnum verſus flores quidem protulerunt, ſed mox ingruente gelu perierunt. Forte haec eadem eſt planta quae Acetoſa montana folio cubitali etc. Meſſerſchmid. de qua infra. De Rhabarbaro vero officinarum idem in Diario ſuo narrat, relatum

tum ſibi fuiſſe a Lama Karabandi ſacerdote Tanguta-no in Dauria tunc peregrinanti, illud a Tangutis Gſungka vocari, et in ea regione ad infantis capitis magnitudinem copioſe creſcere, ſicuti et Badian ſeu Aniſum ſtellatum, a Tangutanis Dſargáh appellatum.

10. ASCLEPIAS montana, humilis, radice longius proſerpente, Lini foliis Meſſerſchm.

11. ALTHAEA foliis amplioribus, viridibus.

Ad quatuor, quinque, aut ſex pedum altitudinem aſſurgit, caulibus teretibus, pallide virentibus, rugoſis, inanibus, mollibus, penitus glabris, ad radicem digitum minorem craſſis. Ex his folia ad ſatis longa interualla oriuntur, ampliora quam in vulgari, minus angulata, viridia, inferiora omnino glabra et laete viridia, ſuperiora parum tomentoſa et canescentia. Flores albi ex foliorum alis emergunt, vulgaris Althaeae floribus paulo majores, ſingulares, bini, terni, aut quaterni, raro plures. Fructus vt in congeneribus.

Primo a ſatu anno flores et ſemina protulit. Sponte autem nascentem apud Baskiros Tataros Heinzelmanus obſeruauit. Caules ſingulis annis Autumnum verſus pereunt, quare diuerſam exiſtimo ab Althaea frutescenti Luſitanica, folio ampliori, minus incano Inſt. r. h. 97.

12. MELO rotundifolius, fructu longiſſimo, tereti, non ſulcato.

E ſemi-

E ſeminibus creuit cum ſequenti a Gmelino ex Sibiria ſub titulo Cucumeris Aegyptii, rotundifolii C. B. P. 310, miſſis. In Catalogo plantarum per Sibiriam obſeruatarum idem ſcribit: maturos fructus odore et ſapore Melonis fructum referre, immo ſapore exquiſito Melonem ſuperare; fructus plerumque oblongos eſſe, Cucumere vulgari multo majores; aliquando etiam Melopeponis fructum figura referre; in fortalitiis ſeptem Palatiorum et Uſt-Kameno-Gorienſi, vt et officinis aerariis vulgarium inſtar Cucumerum coli; ſemina cum Anguriae ſeminibus ex Calmuccicis terris afferri.

Fructus immaturi Cucumerum vulgarium in modum comedi poſſunt. Minus quidem his aquoſi ſunt, ſed ſeminibus magis referti, nec ſapore eos multum ſuperant. Maturi vero nulli Melonum ſpeciei odore ſaporeue cedunt. Pedalem et non raro ſesquipedalem obtinent longitudinem, primo virides, maculis aliquot nigricantibus variegati, poſtea flaui, vtrinque anguſtati, in medio quatuor aut quinque pollices lati, intus in tria loculamenta, ſemina continentia, diuiſi.

13. MELO rotundifolius, fructu oblongo, tereti, non ſulcato, ex flauo et viridi colore vario.

Maturorum fructuum caro duriuscula et pallida eſt, ſaporis et conſiſtentiae inter Melonem vulgarem et Poma Renetia medii, in quatuor loculamenta diſtincta.

Hujus et praecedentis pleniorem deſcriptionem icone illuſtratam dabimus alio loco.

14. CAMPANULA ſpicata Scorodoniae folio.

Caulibus ſurgit rectis, non ramoſis, viridibus, angulatis. His folia inferne adnaſcuntur Saluiae vel potius Scorodoniae foliis ſimilia, ſubtus caneſcentia, tomentoſa, vncialibus plus minus pediculis inſidentia. Ea autem, quae caulium ſummitatem verſus naſcuntur, inferioribus illis multo ſunt minora, caulesque quaſi amplectuntur. Flores verſus eorundem extremum oriuntur, in ſpicam laxam congeſti, breuiſſimis aut nullis pediculis inſidentes, Campanulae eſculentae floribus ſimiles, ſed majores, caerulei, vtplurimum penduli, calyce contenti monophyllo, in plura foliola anguſtisſima diſſecto.

Apud Baskiros et Kirgiſios Tataros ſponte prouenit. Campanula Menthaſtri folio Buxb. Cent. V. Tab. XIX. ab hac differt foliis breuioribus, ſine pediculis caulibus adhaerentibus; floribus vno verſu diſpoſitis. Caeterum valde conuenit.

15. CAMPANULA Vrticae anguſtioribus foliis, glabris, rigidisque.

Folia habet glabra, longa vncias duas aut tres, anguſta, crebra, vtrinque mucronata, profunde dentata, ſuperne obscure viridia, inferne glauca, valde nervoſa, rigida; caules inferne minime ramoſos, pedales vel ſesquipedales, ſummitatem verſus in plurimos ramulos laterales non folioſos brachiatos, flores ſuſtinentes paruos, deorſum in breuibus pediculis pendentes, curtos, purpureo-violaceos; quorum ſegmenta valde obtuſa ſunt; calyculos minutiſſimos, in quinque ſegmenta diſſectos.

16. CAM-

16. CAMPANULA Vrticae foliis, glabra, floribus ampliſſimis, pendulis.

Pulcherrimam hancce Campanulae ſpeciem ex Dauria a Gmelino habemus. Caules ei ſunt teretes, ſesquipedales aut bipedales, glabri, pallide virentes, foliis veſtiti, in ſuperiori ſaltem eorum parte nullis pediculis ſuſtentatis, ſed ſeſſilibus, profunde et varie dentatis, ſescuncialibus aut biuncialibus, vtrinque acutis, pollicem praeter propter latis, glabris, neruoſis, rigidiusculis, inferne glaucis, ſuperne viridibus. Ex alis ſuperiorum foliorum pediculi oriuntur, aut, ſi mauis, ramuli, biunciales vel triunciales, folioſi, in apice flores gerentes ſingulares, ampliſſimos, ſpecioſos, caeruleos, in quinque ſegmenta acutiſſima diſſectos, monopetalos, campaniformes, deorſum vtplurimum inflexos, calyce infundibuliformi, ſuperne in plura foliola acuta et anguſta valde diuiſo, contentos.

Ad Borſam amnem Ononem ſubeuntem Auguſto menſe florebat.

17. CAMPANULA Vrticae foliis, glabra, floribus minoribus, pendulis.

A praecedenti differt caulibus altioribus, ramoſioribus, purpureo-violaceis et ſtriatis; foliis longioribus, anguſtioribus, rigidioribus, neruoſioribus, profundius dentatis; floribus minoribus in ſegmenta breuia et obtuſa diſſectis, Campanulae Serpyllifoliae C. B. floribus ſimilibus, copioſioribus, pluribus ex vno pediculo communi pendulis, ramulis ſeu pediculis floriferis ad breuiora interualla ex foliorum ſuperiorum alis

prodeuntibus, crebrioribus, longioribus et tenuioribus, ab exortu fere ad apicem vsque floribus onuſtis. Forte haec eadem eſt cum Campanula Vrticae folio oblongo, minus aſpero, profunde ſerrato, floribus caeruleis, pendulis, calyce non reflexo, radice recta, Rapae ſimili, teretiuscula, non fibrata, ſuccida, eſculenta Meſſerſchm. qui hanc ad Ingodam fluvium circa Galkináh-Saymka reperit.

18. CAMPANULA foliis Urticae vna cum fructu verticillatis Meſſerſchm.

19. CRUCIATA Daurica, ſcandens, Smilacis folio, aspera, flore luteolo, fructu majori, rubro Mesſerſchm.

Hanc Gmelinus Smilacem aſperam, non ſpinoſam, fructu rubro vocat, ſcribitque eam ad Vdam fluvium ſupra Vdinium vrbem Crataegum flore magno, de quo infra, prae aliis arboribus capreolis ſuis amplecti. Iam aridam fere illo in loco inuenit, ita vt florem exacte obſeruare et deſcribere non potuerit. Ex ſpecimine ſicco, quod idem miſit, nil ſatis diſtinctum apparet. Apud Meſſerſchmidium praeter locum nil extat. Ne veſtigia quidem capreolorum in planta ex ſeminibus Gmelinianis in horto Academico enata deprehendere potui. Ad quodnam autem genus ſingularis haec planta pertineat, facile determinabitur, quando planta in olla fictili ante annum jam laete germinans, flores fructusque proferet. Foliorum ſaltem diſpoſitione, fructus ſtructura et modo crescendi magis ad Cruciatam quam

quam ad Smilacem accedere videtur. Prouenit hinc inde in Dauria.

20. CRUCIATA Daurica, ſcandens, Smilacis folio, aspera, flore luteolo, fructu majori, nigro, ſuccido Meſſerſchmid.

Haec forſan praecedentis tantum varietas eſt. Variis Dauriae locis prouenit notante Meſſerſchmidio.

21. CRUCIATA longifolia, glabra, bacca gemella, laeui.

Caules huic ſunt exquiſite quadranguli, laeves, nodoſi. E ſingulis nodis folia oriuntur quaterna, nullis pediculis inſidentia, longa uncias duas aut tres, dimidium vel integrum ſubinde pollicem lata, trineruia, glabra, rigidiuscula, paulatim, quo magis verſus caulium ſummitates nascuntur, magnitudine decrescentia. Ex iisdem nodis ramuli qnoque oriuntur exquiſite itidem quadranguli, tenues admodum, et nodoſi, e ſingulis nodis folia emittentes bina, terna, aut quatetna, reliquis ſimilia, ſed minora. Tam caulium ipſorum, quam ramulorum lateralium extrema in plurimos ramulos et pediculos diuaricantur, poſt delapſos flosculos pallidos, baccas gerentes, exiles, gemellas, laeues.

Ex Baskirorum et Kirgiſiorum Tatarorum regionibus attulit Heinzelmanus.

22. ANDROSACE Coronopi foliis, glabra, flosculis ex verticilli folioſi vmbilico pluribus, albis Meſſerſchm.

Radice eſt perenni, tenellula, recta deſcendente, fibris capillaribus paucis praedita, foris fuscescente, intus albida; foliis mox a radice confertim prognatis pluribus, humi procumbentibus aut erectis, pollicem fere longis, lineam latis, ambitu praecipue apicem verſus per ſpatioſa quidem interualla tenuiter veluti dentatis, inſtar Coronopi vel foliorum Dentis Leonis, antrorſum acuminata, viridia vtrinque et glabra, ſaepe velut frigore exuſta, punicea; e quorum vmbilico cauliculus plerumque vnicus, interdum etiam plures, teres, tenuis, glaber, e viridi ſaepe radicem verſus puniceus, raro vltra pollices quatuor altus, erectus, in cujus ſummitate vnguiculi foliacei verticillatim caulem ſuccingentes, plurimi, viridantes, exigui, ex vmbilico ſuo flosculorum petiolos longiusculos, teneros emittentes; flosculi in ſingulis petiolis ſex fere lineas longis, ſinguli ſuo calyci inſidentes quinquepartito, glabro, albiſſimi, monopetali, hypocrateriformes, in quinque lacinias diſſecti petaloideas, rotundas, cordiformiter ſinuatas; vmbilico ſeu centro luteolo, in anguſtum foraminulum conſtricto; tubulo floris breui, turgido, ſubflauicante, vix aciculae capitulo majore, in cujus internis parietibus affixa ſtaminula exigua quinque, apiculis luteis munita, extra floris vmbilicum non proſpectantia delitescunt. Piſtillum tubuli fundum veluti perforans, inter ſtamina medium, in teſtulam abit fere trochiformem, apice trochi deorſum verſo, ſuperficieque latiuscula dehiscentem, ſeminaque ſpargentem oblonga, exigua. Mesſerſchm.

Proue-

Prouenit in apricis ad Vdam fluuium et menſe Majo floret. Sub titulo Androſaces glabrae multiflorae majoris Gmelinus ſiccam quoque miſit. An haec eadem ſit quae Androſace Alpina, perennis, anguſtifolia, glabra et multiflora Inſt. r. h, 123. mihi non ſatis conſtat.

23. PLANTAGO maxima, foliis latiſſimis, dentatis, rigidioribus, ſpica breui, denſa.

E radice valde craſſa pediculi ſurgunt pedales aut ſesquipedales, rigidi, ſtriati, admodum neruoſi, breuibus hinc inde pilis obſiti, ſupra in folia amplisſima, non raro pedem longitudine ſuperantia, ſex ad decem vsque pollices lata, expanſi. Folia haec percurrunt decem aut vndecim nerui validi, teretes, rigidi, extantes, auerſa praecipue parte conſpicui, parum admodum ramoſi, in pediculo etiam, vbi adhuc conjuncti ſunt, viſibiles, vnde paulatim a ſe inuicem ſecedentes foliumque pervadentes, in apice ejusdem ſatis acuto iterum coeunt. Ceterum folia haec in ambitu dentata ſunt, rigida admodum, atro-viridia, in vtraque ſuperficie pilis tenerrimis et breuiſſimis praedita.

E centro foliorum caules oriuntur recti, nudi, rigidi, ſtriati, calami ſcriptorii ſubinde craſſitie, ſesquipedales aut bipedales, piloſi, verſus extremum ſpicam gerentes florum Plantaginis latifoliae C. B. ſimilium, ſed denſe magis congeſtorum; quos ſequuntur capſulae ſeminales oblongae, majores quam in vlla mihi hactenus cognita Plantaginis ſpecie, denſe ita compactae, vt ſpicam tandem efficiant non raro vnciam latitudine

titudine adaequantem, obtuſam, aequalis fere vbique craſſitiei, vtplurimum tantum vncias duas aut tres longam, ſubinde etiam, ſed raro quinque aut ſex.

Apud Kirgiſios Tataros et prope Samaram ad Volgae ripam ſitum oppidum locis incultis ſponte prouenit.

Eandem eſſe exiſtimo Plantaginem latifoliam maximam Gmelini, ab eodem breuiſſime ſic deſcriptam: folia ſeptem pollices lata, et prope decem longa vndecim neruis ſuſtentantur. Spica ſeptem fere pollices longa. Tota planta tres ſpithamas alta. Inter Tobolsk et Tara vrbes ad Omsk fluuium.

24. CHAMAEIASME radice Mandragorae Gmel. Tab. II.

Radix externe fusca, circulis paululum eminentibus aſpera, interne alba, rarae texturae et multis radiis in centrum vnum vergentibus ſtriata, ſaporis ſubdulcis, maſticata feruorem in faucibus relinquens, modo crescendi Mandragorae radicem refert; truncus enim, qui interdum pollicem diametro ſuperat, in duo plerumque capita diuiditur, non raro vltra pedem deſcendentia et multas transverſim ſitas radiculas emittentia. Varios in hoc genere luſus duae radices ſub lit. A et B delineatae exhibent, quarum prior ipſius plantae, cujus figura ſiſtitur, altera alterius ſpeciminis radix eſt. Ob hanc peculiarem conformationem, quae hominis rudem delineationem exprimit, Ruſſico nomine мужикъ dicitur. Multi, viginti et triginta interdum ex vna radice caules ſurgunt, tenues, infirmi, inferius rubentes, verſus ſummitatem dilute virides, vltra dodrantem longi,

gi, breui poſt exortum ad ſummum vsque admodum folioſi, foliis alternis, breuibus, vtrinque acutis, neruoſis, inferne dilutioribus, Centaurii minoris folia quodammodo imitantibus ſtipati, in quorum ſingulis e ſummitate vmbella florum a Tab. II. prodit, infundibuliformium, minorum, in quinque plerumque, raro in quatuor lacinias ſubrotundas fiſſorum, ſuperne alborum, inferne purpurascentium, ad quorum internos parietes ſtaminum flaueſcentium b duae ſeries affixae ſunt. Piſtillum c cylindricum, inferius in tubo reconditum, cum ipſo floris tubo inferiore involutum f breui in fructum d abit, turbinatum, nigricantem, hilo albo notatum et placentae e affixum.

Copioſe prouenit tam in humilioribus quam montoſis locis Selengae, Ingodae, Schilkae et Arguni fluuiorum, ſub medium Iunii florens, et ſub finem ejusdem menſis ſemina maturans.

CHAMAEIASME nomen impoſui, plantarum quarundam veteribus vſitatam, et nullius adhuc generis determinationi adhibitam ſignificationem transferendo in hanc ipſam plantam, in quam non male quadrare videtur.

Radicem hujus plantae jam praeterita hyeme Ao. 1735, Selengiae apud Ioannem Demetrii filium Bucholzium vidi, qui eam tanquam egregium purgans commendauerat. Cum poſtea in itinere magnam ejus radicis quantitatem collegerim, ipſe plura experimenta feci et cognoui, duos radicis tritae ſcrupulos cum melle permixtos, robuſto homini quinquies vel ſexies al-

uum mouere, et bis vel ter vomitum ciere, attamen ſine anxietatibus, aut ventris inſignibus torminibus, cujus rei et ipſe teſtis ſum.

De figura adjecta adhuc notandum lit. b. eſſe florem per medium ſectum, vt ſtamina internis parietibus adhaerentia conſpici poſſint; lit. f vero plures exhibere fructus placentae ſimul junctos. Haec omnia Gmelinus.

Forte eſt Valerianelloides Polygoni folio, floribus in vertice conglobatis, ſemine turbinato, nigricante Meſſerſchm. Verum cum nec icon nec ſpecimen ſiccum extet, determinare non poſſum, vtrum eadem ſit planta quae Chamaejasme Gmel. nec ne?

25. VALERIANA lutea, humilis Gmel. Tab III.

Radix craſſa, tribus vel quatuor ſtolonibus terrae firmiter infixa, foris fuſca, intus alba, ſaporis ſubdulcis, mox folia plurima fundit, nullis ſere pediculis innixa, quaedam integra, quaedam Coronopi foliorum diuiſura, ſucculenta, vtrinque pallide virentia. E medio horum foliorum caulis ſurgit parum anguloſus, laeuis, dilute viridis, ſpithamae altitudinem raro ſuperans, ex quo plerumque circa medium duo ramuli ex aduerſo oriuntur, quibus inferius totidem folia pariter ex aduerſo ſita, Coronopi diuiſura, adhaerent. Summum caulem et ramulos aliquot vmbellae florum a Tab. III. flaui coloris, monopetalorum, infundibuliformium, in quinque lacinias aequales, ſubrotundas, fiſſorum, calyci b breuiſſimo et vix conſpicuo, in quinque partes fiſſo, inſidentium, terminant. Cuilibet vero vmbellae parti-

ali duo ſubſunt foliola longa, anguſtiſſima. Stamina quinque lutea, apicibus transuerſim ſitis, oblongis, inſtructa; piſtillum ejusdem coloris, ſuperius aliquo modo pileatum. Fructum non vidi.

In ſpatioſis campis, qui ſuperato tractu montium Iablonnoi Chrebet dicto, Tſchitinium petituris, tranſeunda ſunt, menſe Majo florebat.

26 VALERIANELLA procera, folio varie ſecto, ſemine galericulato Meſſerſchm.

Sub titulo Valerianae procerioris, luteae a Gmelino ita deſcribitur: ad cubitalem haec ſurgit altitudinem, caule pro ratione totius plantae magnitudinis non admodum craſſo, rotundo, qui foliis mox a radice, ſed per longa interualla ſtipatur, ex aduerſo binis, Valerianae vulgaris inſtar laciniatis, conſiſtentia et colore ad Apii folia accedentibus. Ex ſupremis foliorum alis in pediculis longis oriuntur vmbellae florum flauorum, quorum ſtructura cum jam ſupra deſcriptae floribus omnino conuenit.

Vix florere incepit ſub finem Iulii menſis in campis Argunienſium officinarum, quare nec hujus fructum videre contigit. Gmel.

Ad Kitzik-Ssyr oſtium Auguſto menſe reperit Meſſerſchmidius.

27. VALERIANELLA nemoroſa, repens, foliis Vitis Idaeae minoribus, flore ſubrubente, ſemine vmbilicato, hirſuto, oblongo Meſſerſchm.

Radice erat repente, tenui, caule etiam longis flagellis proſerpente, a qua cauliculi paſſim plures, tenues, vix palmo longiores, glabri, recti, non geniculati; foliis in cauliculo binis et ternis, ſubrotundis, ambitu vix vna vel alteta crena tenui, prope apicem inciſis, duriusculis, obscure viridibus, glabris, Vitis Idaeae folio minoribus; caule in ſummitate dichotomo, totidem flosculos proferente in roſeo rubore pallidos, monopetalos, campaniformes, vel potius infundibuliformes ad oram quinquepartitos, cum ſtaminibus quatuor, duobus ſcilicet breuibus, et duobus longioribus albis, piſtillum longiusculum ambientibus; calyce floris quinquepartito, ſummo ſemini oblongiuscule rotundo et hirſuto inſidente, et poſt florem deciduum ſuperſtite, vnde ſeminis vmbilicata vel ſtellata etiam facies exſurgit.

Ad Ienizeam fluuium reperit Meſſerſchmidius.

28. LYSIMACHIA lutea, ſalicis folio.

A Lyſimachia lutea majori C. B. P. differt foliis anguſtis, vix vnciae trientem latis, glabris; floribus minoribus, laxius diſpoſitis.

Ex Dauria miſit Gmelinus.

29. VERONICA ſpicata, altiſſima, foliis verticillatim diſpoſitis Gmel. Tab. IV.

Caule, ſcribit Gmelinus, ſurgit duos aut duos cum dimidio cubitos alto, rotundo, dilute viridi, decem aut vndecim geniculis diſtincto. Ad duo inferiora genicula foliola quaedam arida, fuſca, apparent; ad reli-

reliqua folia plerumque ſex, verticillatim caules ambientia, inferiora et ſuperiora minora, vnum et dimidium pollicem longa, media ad tres et quatuor pollices longa, vtrinque viridia, inferne dilutiora, eleganter, ſed non profunde ſerrata, admodum neruoſa. Summum caulis terminat ſpica ad tres pollices longa, e floſculis dilute caeruleis, quadrifariam diviſis, duobus ſtaminibus ejusdem coloris, apicibus rufescentibus inſtructis, et calyce breui, quadripartito ſuſtentatis, compoſita. Singulis floribus ſubeſt foliolum anguſtiſſimum, minimum. Fructus Veronicae. Albo floris colore variat. Gmel.

Haec poſterior Meſſerſchmidio audit: Veronica ſpicata, longo verticillato folio, alba, Daurica. In campis Nertſchiae et Argunienſium officinarum reperit Gmelinus, ad Schilkam fluuium menſe Iulio Meſſerſchmidius.

30. VERONICA ſpicata, lanuginoſa et incana, floribus caeruleis.

Gmelino haec audit: Veronica ſpicata minor, anguſtifolia incana. Eandem ſequentibus deſcribit verbis: e radice parua, foris fuſca, intus albente parum fibroſa, vnicus ſurgit caulis, vltra ſpithamam longus, foliis minoribus, mollibus, oblongis, leuiſſime interdum crenatis, figura ad folia Chamaedryos ſpuriae anguſtifoliae accedentibus, ex aduerſo et alternatim poſitis, ad ſummum vsque ſtipatus. In faſtigio vero ſpica arcta florum caeruleorum, vltra pollicem longa, caulem terminat. Caulis, folia et calyces florum denſa

lanugine pubescunt, argenteum colorem referentia. In deſertis Barabinskienſibus 60 leucas ſupra Scheleſienſe Fortalitium, ſub initium menſis Iulii flores protulit.

Ex deſertis prope Samaram oppidum et e Baskirorum Tatarorum regione tum exemplaria ſicca, tum ſemina quoque attulit Heinzelmanus. Plura ex his enata nobis ſunt ſpecimina mox a radice caules tres aut quatuor ſupinos, lignoſos, radiculas hinc inde agentes, emittentia, foliis veſtita quam in exemplaribus ſiccis, multo amplioribus, minusque incanis, creberrimis. Perennis et ſemperuirens eſt planta, flores tamen hactenus nondum protulit.

Videtur ex hac Meſſerſchmidius duas diuerſas ſpecies conſtituiſſe, quod ex ſubſequentibus deſcriptionibus in Diario ejus contentis, mox patebit. Priorem ſeu minorem, vti ipſi audit, ſub titulo Veronicae Alpinae Bellidis folio, hirſutae C. B. ſic deſcribit: Radice eſt exigua, lignoſa, tenui; coliculo plerumque ſingulari, tereti, erecto, lanuginoſo, albido; foliis ſemper ex aduerſo binis, petiolorum unguiculis caulem vaginatim amplectentibus, a radice plurimis, deinde interuallis majoribus caulem ambientibus, Bellidis ſimilibus, oris leuiter crenatis, vndique lanuginoſis, mollibus, incanis. Flores in caulis ſummo per alterna interualla in praelongam ſpicam, plerumque ſimplicem diſpoſiti ſunt monopetali, caerulei, exigui, velut in ſpicata longifolia Inſt. r. h. Vascula ſeminalia membranacea, velut cordiformia, in duo loculamenta diuiſa ſunt, ſemina exigua plura ſeruantia. Hanc Veronicam Bellidis folio minorem dicere maluerim, cum raro

vltra

vltra pedis menſuram luxuriare offenderim, in montanis quidem petroſis et apricis ad Ieniſeam fluuium abundantem.

Eſt vero et alia Veronica Bellidis folio major, cujus folia Bellidis ſimilia ſed majora Salviae foliis, ambitu non crenata, ſpica ex foliorum alis fere ſingulis alia atque alia ſubnascente, caule quoque ad tertium fere pedem aſſurgente, pariter lanuginoſa, minus tamen incana, quam et alio loco vocat Veronicam montanam, Salviae folio anguſto, vtrinque incano.

Priorem Meſſerſchmidius male cum Veronica Alpina Bellidis folio hirſuta C. B. confundit, quae omnino diuerſa eſt planta. Poſterior mihi tantum varietas prioris eſſe videtur, ſolo laetiori et pinguiori proueniens.

31. VERONICA ſpicata, Buguſae ſubhirſuto folio, albo et carneo flore Gmel.

Radiculis tenuibus, albis, in terra figitur. Caulis e radice unicus, dilute viridis, albo vellere leuiter hirſutus, mox poſt exortum folia emittens, unum aut ſesquipollicem longa, dilute viridia. ſubtus pallidiora, caeterarum Veronicarum magis obtuſa, pediculis dimidium pollicem longis nixa, profunde dentata. In ſummo caulis ſpica unica plerumque, interdum duae aut tres prodeunt, dimidium pedem plus minus longae, e flosculis albis plerumque, interdum carneis, in quatuor lacinias inaequales ſectis, compoſitae. Flos labiatum florem refert, cujus galea ampliſſima, alae paulo anguſtiores, labium angu-

anguſtiſſimum eſt. E fundo floris piſtillum ſurgit carnei coloris, ubique aqualiter craſſum, duobus ſtaminibus albis, quae longis apicibus eleganter carneis, in medio bifidis, munita ſunt, cinctum. Fructus Veronicae fructui ſimilis. Circa officinas Argunenſes ſub finem Iulii menſis in humilioribus locis floret. Gmel.

Mihi folia hujus plantae magis ad Quercus, quam ad Bugulae folia accedere videntur, ſaltem in ſpecimine ſicco, quod Gmelinus miſit.

32. VERONICA anguſtifolia floribus paniculatis.

Cauliculis ſurgit pedalibus, tenuiſſimis, raro, molli et breuiſſimo tomento obductis, rectis, non ramoſis, quibus ad uncialia praeter propter interualla, folia adnaſcuntur ſescuncialia aut biuncialia, anguſtiſſima, vix vnciae trientem lata, in ambitu ſerrata, ſemper ex oppoſito bina. Folia haec quo radici propiora, eo longiora et latiora ſunt; quo magis vero verſus caulis ſummitatem nascuntur, eo paulatim fiunt breuiora et anguſtiora, minusque ſerrata. Cauliculorum extremum in jubam ramoſam diuaricatur, ex ramulis octo aut nouem tenuiſſimis, ſescuncialibus aut biuncialibus conſtantem. Singuli ramuli ab exortu fere ad apicem vsque floſculos gerunt azureos, paruos, laxe admodum diſpoſitos, iuferne tubulatos, ſuperne in quatuor ſegmenta acuta, anguſta et aequalia diſſectos, calyculo contentos minutiſſimo, quadrifido. Interiorem floſculorum partem occupant piſtillum et ſtamina duo, apicibus magnis ſubrotundis inſtructa. Singuli porro floſculi pedunculis inſident vix lineam longis. Hisce vero, vt et ramulis flori-

floriferis omnibus ſubſunt foliola breuiſſima et anguſtiſſima; quae floſculorum pedunculis adnaſcuntur, vix nudis oculis conſpici poſſunt. Inferior piſtilli pars fit fructus paruus, congeneribus ſimilis.

In Sibiria ſponte prouenit.

33. VERONICA frutescens, Abrotani folio, floribus carneis.

Praeter Veronicam ſpicatam latifoliam; anguſtifoliam; longifoliam; ſpicatam minorem et multicaulem Pannonicam Inſt. r. h. cum iis, quas ſupra recenſuimus, in Tatariae et Sibiriae meridionalibus prouinciis elegans quoque haec ſpecies prouenit, a Gmelino ſub nomine Veronicae Auſtriacae foliis tenuiſſime laciniatis Inſt. r. h. miſſa, a qua tamen valde differre, ſequens docebit deſcriptio: Caules in ſpeciminibus ſiccis, quae mihi videre contigit, ſesquipedales erant, nullus tamen dubito quin in vigenti planta multo longiores ſint, recti, lignoſi, rigidi, teretes, craſſi admodum, ſpadicei, hinc inde parum intorti, non ramoſi, leuiter et molliter hirſuti. His adnata erant folia Abrotani foliis plane ſimilia, minora ſaltem et tenuius diſſecta, modo conjugata, modo alterna, vtplurimum nullo ordine ex caulium lateribus ſine pediculis egredientia, adeo crebra et denſe congeſta, vt caules fere operirent. Caulium autem extrema terminabantur in ſpicas denſas, quamplurimas, vnciales aut ſeſcunciales, conſtantes ex floſculis plurimis paruis, carneis, tubulatis, ſuperne in quatuor ſegmenta inaequalia diſſectis, calyculo contentis minutiſſimo. Stamina, apices, piſtillum floris et fru-

ctus vt in praecedenti. Differt ergo a Veronica Auſtriaca foliis tenuiſſime laciniatis Inſt. r. h. caulibus lignoſis, non ramoſis; foliis minutiſſime diſſectis, crebrioribus; ſpicis florum denſioribus breuioribus; floculis minoribus, carneis.

Hujus forte varietas eſt Veronica ſaxatilis, floribus caeruleis, exiguis, foliis tenuiſſime laciniatis Messerſchm. Diar. qui eam ad Ack ſeu Bielo Yjus confluentem obſeruauit.

Duas adhuc ſpecies aut forte tantum varietates iisdem regionibus crescentes vidimus; altera Gmelino audit.

34. VERONICA ſpicata longifolia altera.

In Icone, quam Gmelinus delineari curauit, et ejusdem ſpecimine ſicco nullam aliam differentiam inter hanc et Veronicam ſpicatam longifoliam Inſt. r. h. obſeruare potui, quam quod illius folia paulo eſſent latiora, ipſo etiam adnotante Gmelino. Alteram ex Tataria attulit Heinzelmanus. Poſſet haec ſic appellari.

35. VERONICA ſpicata Vrticae folio.

Folia enim Vrticae valde ſunt ſimilia, ad baſin ſubrotunda, vnciam circiter lata, in anguſtiſſimum et acutiſſimum mucronem deſinentia, duos pollices cum dimidio vtplurimum longa. Tam inferiora quam ſuperiora aequalis fere ſunt longitudinis et latitudinis. Spica vnica caulem terminat; eſt autem longa ſatis et craſſa ex quamplurimis floribus caeruleis, majusculis, tubulatis, compoſita. Ceterum folia in ambitu multo profundius

ſundius et rarius dentata ſunt, quam in Veronica ſpicata longifolia Inſt. r. h. nec rugoſa, nec hirſuta, ſed omnino glabra et quaſi polita.

36. VERONICA ſpicata, longis, alternis foliis caerulea Meſſerſchm.

37. PIMPINELLA maxima, foliis longioribus, anguſtioribus, profunde dentatis, floribus albis.

Haec Meſſerſchmidio audit: Pimpinella ſanguiſorba major, anguſtifolia, floribus in ſpica longa, nutante, albis ſaepe etiam ſubrubeis, Daurica. Eandem ex eodem loco ſub titulo Pimpinellae maximae Canadenſis, ſpica longa, rubente H. R. P. et Pimpinellae maximae Canadenſis Corn. Gmelinus miſit, qui duas ejus varietates, alteram ſcilicet flore rubente, alteram flore albo pro diuerſis ſpeciebus habuit. Haec autem planta, quam mox deſcribemus, a Canadenſibus Pimpinellae ſpeciebus, omnino diuerſa eſt, ejusque in floris colore varietates non diuerſis ſpeciebus, ſed florum aetati tantum adſcribendae ſunt, quod ipſe quoque Gmelinus in catalogo plantarum in transbaikalenſibus regionibus obſeruatarum notare videtur; ſcribit enim vtriusque faciem plane eandem eſſe et crescere in iisdem locis, deſertis nempe Argunienſibus et Ononienſibus, albamque rubente paulo maturius florere. Addit praeterea albam adſpectu jucundiſſimam eſſe, quod apices ſtaminum ſint nigri, ſiue admodum obscure violacei, flosculosque ejus interdum viridescentes eſſe. Interim, idem ſubjungit, exarescens haec poſterior, alba ſcilicet, florem candidum in ru-

 bentem

bentem mutat, adeo vt tunc difficile ſit eam a rubra diſtinguere. Illam porro menſe Auguſto, hanc ſub Iulii menſis finem florere dicit.

Folia inferiora, quae ſcilicet ex ipſa radice egrediuntur, pedem plus minus longa ſunt, pinnata, ex nouem aut decem pinnis in vnoquoque coſtae latere compoſita; coſta valde tenuis eſt et ſtriata, pinnae vero duas tresue vncias longae ſunt, vix dimidium pollicem latae, profunde in ambitu ſed rarius dentatae, glabrae, ſuperne obscure virides, inferne glaucae, in acutum mucronem terminatae, coſtae mediae ſine pediculis adhaerentes, inferius alternae, ſuperius conjugatae, aequalis fere vbique latitudinis. Baſi harum pinnarum ſubinde vna aut altera adhuc adnaſcitur minutiſſima, vix vnciae quadrantem longa, colore et ſtructura reliquis ſimilis. Caules in ſpecimine Gmeliniano tres pedes alti ſunt, tenues admodum, viridescentes, ſtriati, foliis ad longiora interualla veſtiti, praecedentibus ſimilibus, quorum vero pinnae multo ſunt anguſtiores et acutiores, tenuius et crebrius dentatae; quae verſus ſummitatem eorundem nascuntur, minutiſſime et elegantiſſime ſerratae ſunt. Folia ſuprema non amplius pinnata ſed ſimplicia ſunt. Caulium extremum in plures ramulos tenues, praelongos, nudos vtplurimum, ſubinde tamen foliolis aliquot ſimplicibus ornatos, brachiatum eſt, quorum ſinguli in apice ſpicam gerunt vncialem, vix trientem pollicis latam, teretem ex flosculis albis aut rubentibus, congeneribus analogis, ſed minoribus denſiusque compactis, conſtantem, deorſum inflexam imprimis antequam flosculi expanduntur. Flos-

culi

culi ſtaminibus longiuſculis, apices nigricantes, paruos, ſubrotundos ſuſtinentibus, referti ſunt. Calyx abit in fructum paruum anguloſum cinereum.

ARGUSIA.

38. ARGUSIA eſt plantae genus flore monopetalo, infundibuliformi, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſiccum ſubrotundum, qui juxta axin vmbelliferarum more bifariam dehiſcit, ſingulis haemiſphaeriis oſſiculo foetis ejusdem formae.

Meſſerſchmidius, qui ſingularem hanc plantam primus et ſolus reperit, eam ſequentibus deſcribit verbis: anonymos montana radice perenni, craſſa, duriuscula, foris fuſca, et asparagis tenellulis, albis, vndique obſita, velut verrucoſa, intus alba; cauliculis a radice pluribus, erectis, pedem raro ſuperantibus, in ramuſculos ſurculosque ſubinde diuaricatis; foliis ad Linariam accedentidus, per alterna interualla breuiſſima caules ramulosque denſe veſtientibus, vtrinque viridibus, mollibus, glabris; floribus in caulis ramulorumque vertice, pariter atque e foliorum alis, ad caulium latera ternis, ſaepe quaternis et pluribus velut racematim cohaerentibus, breuique petiolo tenui fultis, monopetalis, infundibuliformibus, tubulatis, calyci quinquefido inſidentibus; piſtillo ſuperna ſui parte infimae floris adinſtar claui infixo, inferna ſui parte abeunte in fructum ſiccum, inuerſe turbinatum, Sorbi baccae aemulum, calyce quinquefido fultum, vtrinque profunde vmbilicatum, ſpadiceo fuſcum, leuiter hirſutum, juxta axin vmbelliferarum propemodum more bifariam dehiſcentem,

 haemis-

haemiſphaeriis ſingulis ſub fungoſo cortice craſſiuſculo, albido, oſſiculum ſeruantibus, ſingulare, ejusdem cum haemiſphaeriis figurae, plano-conuexum, durum, a conuexa parte aliquoties ſulcatum, a plana vero foramine hili emiſſorio praeditum, obscure ſpadiceum, nucleo exiguo, albo, molli foetum. Nec odor plantae. nec ſapor praeter herbaceum, vllus euidentior. Florum color ſub emarcescentiae ſtatum aegre dignoscendus. Locus in glareoſis aridisque apricis Argun fluuii et Iike Dalai Noor in Dauria. Alibi ab eodem adpellatur: Arguzia montana, radice perenni, foliis Linariae, alternis, flore monopetalo, fructu Sorbi baccae aemulo, inuerſe turbinato, ſicco, oſſiculis gemellis foeto.

Semina ab Auctore ante plures annos lecta, in plantas quidem excreuerunt ſatis robuſtas et ramoſas, nondum tamen flores protulerunt. Folia perperam a Meſſerſchmidio Linariae ſimilia dicuntur, ſunt enim multo latiora, craſſiora, breuiora et asperiora, in junioribus ſaltem plantis, Echii Scorpiodis in modum hirſuta, nec multum ab ejusdem foliis, ſi formam ſpectes, abludentia, niſi quod majora ſunt. Cauliculi quoque primo vere e radice exeuntes admodum lanuginoſi ſunt. Obſeruaui tamen cauliculorum horum lanuginem foliorumque pilos per aeſtatem fere obliterari.

ARGUSIAE nomine hocce genus a loco natali inſignitum eſt eodem jure, quo Zacintha a Zacintho inſula, Bermudiana a Bermudis inſulis, Ternatea ab inſula Ternate, Patagonica a Patagonia Americae auſtralis prouincia nominatae fuerunt. Si quis tamen nomen

nomen aptius inuenire poterit, quod notas plantae proprias ſimul exprimat, me non diſſentientem habebit, nec ſi cui Meſſerſchmidiam ab inuentore nuncupare placuerit, refragabor.

39. SCROPHULARIA montana, humilis, anguſto, ſerrato, craſſiusculo folio, ſemine quam in nodoſa majore Meſſerſchm.

Prope Dalai lacum in Dauria prouenit.

40. LINARIA Iſatidis folio, flore luteo.

Folia ſescuncialia aut biuncialia, carnoſa, valde acuta, prope baſin dimidium pollicem plus minus lata, caulem lignoſum, intus medulla alba farctum, rectum et validum ad breuiſſima interualla amplexantur et penitus fere obtegunt, qui ſummitatem verſus in quamplurimos ramos pedales et longiores diuaricatur, hique vero iterum in innumeros fere ramusculos laterales diuiduntur, flores alterno ſemper ordine gerentes, luteos, pediculis lineam vnam duasue longis ſuſtentatos, Linariae vulgaris luteae CB. ſimiles, ſed minores et calcari longiore praeditos, ad lineae vnius duarumue diſtantiam ex ramulorum lateribus egredientes, frequentiſſimos. Hos ſequuntur capſulae ſeminales, congeneribus analogae. Ex Sibiria Gmelinus miſit.

Meſſer-

Meſſerſchmidius eandem in Diario ſuo recenſet ſub titulo Linariae procerae, latifoliae, floribus vulgari ſimilibus luteis, teſta ſeminali majuscula, adjecta quaeſtione an Linaria Orientalis, latiſſimo folio, floribus Linariae vulgaris Inſt. r. h. Coroll. pag. 9?

41. PEDICULARIS humilior, foliis tenuiſſime diuiſis, floribus ſpicatis, purpureis.

E radice admodum craſſa folia enascuntur triuncialia, quam tenuiſſime in plurimas anguſtiſſimas, ramoſas et creberrime diuiſas lacinias diſſecta, coſtae ſimplici, canaliculatae, lanuginoſae, ad pollicarem a radice diſtantiam nudae adnascentia. Inter haec cauliculi egrediuntur biunciales aut triunciales, lanuginoſi, angulati, foliis aliquot praecedentibus ſimilibus alterno ordine veſtiti, bini, terni aut quaterni, in ſummitate gerentes ſpicam vncialem denſam, villoſam, florum purpureorum, pro plantulae magnitudine ampliſſimorum, congeneribus ſimilium.

In Syluis inter Ierawnienſe et Tſchitinienſe munimentum, vt et ad Ingodam et Schilkam fluuios in Dauria menſe Iunio lectam transmiſit Gmelinus.

42. PEDICULARIS elatior, latifolia, floribus purpureis.

Caules huic virides ſunt, angulati, glabri, admodum craſſi et fere lignoſi, in plurimos ramos, ramulosque diuiſi; folia admodum crebra, ſubinde alterna, vtplurimum tamen conjugata, breuiſſimis aut nullis pediculis inſidentia, ſaltem in ſuperiore caulis parte,

parte, ea enim, quae circa radicem nascuntur non vidimus, ad baſin ſubrotunda, pollicem praeter propter lata, duas plus minus vncias longa, in valde acutum apicem deſinentia, ambitu profunde ſatis ſed rarius dentata, ſingulis denticulis tenuiſſime ſerratis. Ceterum ſuperne omnino glabra ſunt et obscure viridia, inferne pilis aliquot breuiſſimis raris et albicantibus inſtructa. Verſus caulis et ramulorum extrema flores ex foliorum alis naſcuntur, purpurei, ſingulares, monopetali, anomali, in duo labia diſtincti, pro plantae magnitudine exigui, congeneribus quoad ſtructuram ſimiles.

In Argunienſium officinarum campis legit Gmelinus.

43. POLYGALA multicaulis, longius radicata, floribus ex foliorum alis.

Radicem habet craſſam, lignoſam, dimidium fere pedem longam, extus fuscam, intus albam, paucas admodum fibras ſpargentem, e qua plurimi ſurgunt cauliculi graciles, lenti fractuque contumaces, quinque aut ſex vncias alti, denſe congeſti ad viginti vsque, inferius nudi, ad pollicarem circiter a radice diſtantiam foliolis breuibus, ſubrotundis, in progreſſu anguſtioribus et longioribus, ad Myrti Tarentinae folia forma, colore et conſiſtentia accedentibus, paulo tamen tenuioribus minusque ſplendentibus, alternis, crebris, ad breuiſſima interualla diſpoſitis veſtiti, medium verſus in ramulos aliquot diuiſi. E ſuperiorum autem foliorum alis pediculi oriuntur praetenues, vnciales aut ſescunciales, floribus aliquot onuſti, paruis, purpurascen-

 tibus,

tibus, Polygalae vulgaris floribus triplo minoribus, monopetalis, anomalis, quibus ſuccedunt capſulae ſeminales planae, cordiformes, virides, in duo loculamenta diuiſae.

Ex locis incultis circa Ufam, nec non ex agris circa fluuium Santikul ad pedes montis Alburan cum vulgaribus Polygalae ſpeciebus attulit Heinzelmanus.

44. POLYGALA multicaulis, anguſtiſſimis foliis, floribus carneis.

Radix quam in praecedenti tenuior, minus lignoſa; cauliculi graciliores, longiores, mox ſupra radicem in ramos brachiati, foliolis praediti dimidiam circiter vnciam longis, acutis, alternis, minus crebris, ad vncialia praeter propter interualla e cauliculorum lateribus ſine pediculis egredientibus, lineam latitudine raro ſuperantibus; flores vt in praecedenti, in ſescuncialibus pediculis, e foliorum alis egredientibus naſcuntur, quatuor aut quinque in vnoquoque pediculo, in tenuem et laxam quaſi ſpicam digeſti, parui, carnei, tenuiſſime fimbriati; fructus vt in praecedenti.

In campis Nertſchienſibus legit Gmelinus.

45. POLYGALA ramoſa, anguſto praelongo folio, flore caeruleo, pulcherrime fimbriato Diar. Meſſerſchm.

Haec praecedentis forſan tantum varietas eſt. Ad Schilkam fluuium in Dauria menſe Iulio obſeruauit Meſſerſchmidius.

46. CORIS juncea aphyllos Gmel. Tab. V.

Radix

Radix tenuis calami ſcriptorii craſſitie, ſesqui-pollicem longa, foris rubens, intus alba, caulem emittit mox poſt exortum in ramos diuiſum et ſubdiuiſum ad ſummitatem vsque. Altitudo cubitalis eſt. Singuli rami flores a Tab. V. in extremitate ſingulos geſtant, caeruleos, in duo veluti labia diſtinctos, quorum ſuperius Galeae formam refert et tuberoſum eſt, inferius anguſtum, extremitate ſubrotundum. Flos inferius tubuloſus eſt, calyce b infundibuliformi et ſuperius ſtellae in modum expanſo, ſuſtentatus, atque in fructum c abit fere rotundum, fuſcum, ſeminibus d minutiſſimis repletum. Folia nulla fere ſunt. Alis tantum caulium membranulae, quaſi primodia foliorum adhaerent.

In deſertis Scheleſienſe et Uſt-Kameno-Gorenſe fortalitia interjacentibus vulgatiſſima omnium planta eſt. Circa initium Iulii menſis florentem, Auguſto ſemina ferentem vidi. Haec Gmelinus.

Ex ipſa hac floris deſcriptione et icone patet, hancce plantam ad Coridis genus non pertinere. De fructu quoque nihil determinatur, vtrum in duo loculamenta diuiſus ſit, an in plures dehiscat partes, vt in Coridis fructu fieri ſolet. Toto autem habitu externo et ſtructura praeſertim juncea admodum conuenit cum Dodartia Inſt. r. h. Coroll. floris vero forma et dispoſitione omnino differt. Fructus ſtructura mihi non ſatis cognita eſt. Ergo nihil certi de hac planta proferre poſſum, vtrum peculiare exinde genus conſtituendum ſit nec ne?

CYMBARIA.

47. CYMBARIA, Auctore Meſſerſchmidio, eſt plantae

genus flore monopetalo anomalo, tubulato, perſonato, in duo labia diſtincto, quorum ſuperius bifidum eſt, inferius tripartitum, vtrumque reflexum. Ex calyce autem ſurgit piſtillum poſticae floris parti inſtar claui infixum, quod deinde abit in fructum ſiccum ſeu teſtam in calyce maturescentem, ouatam, membranaceam, vnicapſularem, dehiscentem in duas veluti cymbas, ſulco longitudinali mediaſtino foris carinatas, intus inhaerentes placentae in quatuor procurrenti alas foliaceas, ſpiraliter involutas, ſub ſui pariter atque cymbarum revolutione elaſtica ſpargentes ſemina, ſimplici ſingulis alis ordine affixa, paruula, irregulariter angulofa.

Vnica hujus generis nobis nota ſpecies eſt, quae a Meſſerſchmidio vocatur:

CYMBARIA Daurica, pumila, incana, Linariae folio, magno flore luteo, guttato Tab. I. Fig. 2.

ANTIRRHINOIDES vel potius CYMBARIA, ſcribit idem in Xenio Iſidis Sibiricae, radicem habet tenuem, perennem, horizontaliter longe protenſam, parum fibrillatam, foris fuſcam et laceram, intus albam, lignoſam. Ex hac cauliculi ſurgunt terni, quaterni, raro pede dimidio altiores, erecti, tenues, teretes, non geniculati, pallide virentes, lanugine incani, quibus adnascuntur folia contra ſe poſita, per breuia interualla caulem veſtientia, Linariae fere ſimilia, ſed minora, inſigniter acuminata, vtrinque pallide viridia et leui lanugine incana, ramusculos ſubinde ſed rarius et valde breues emittentia. Flores contra e foliorum alis ad caulium latera oriuntur, modo ſingulares, modo in eodem

eodem caule bini, rariſſime terni, calyci membranaceo, tubuloſo, coſtulisque decem fere vel duodecim in totidem lacinias prolixiores abeuntibus veluti ſtolato, petioloque breui fulto, inſidentes, monopetali, anomali, tubulati, perſonati, alterum ſaepe pollicem transverſum longi, digitum minorem ampli, pulchre flaui, intus grato rubore guttati, in duo labia aequabiliter retroflexa diſcreti, quorum ſuperius bifidum, inferius trifidum eſt, lacinia media inferioris labii reliquis majore. Stamina a tubi florum pariete infimo aſſurgunt, plerumque quaterna, longiſſima, teretia, alba, in apicula lutea, gemella reflexa, Carui ſemine minora, terminata, extra florem proſpectantia. Piſtillum e calycis fundo prodit, ac infimae floris parti inſtar claui infixum eſt, ſui ſuperna parte in tubulum excretorium praelongum, leuiter pileatum, attenuatum, inferna vero abeunte in fructum. Fructus in calyce maturescit, laurique baccam non exaequat, ovalis, compreſſus, e duabus teſtulis ſemiouualibus veluti cymbis, ſulco mediaſtino profundiusculo carinatis, membranaceis, duriusculis, in ſpadiceo puniceis, ſibi mutuo adcumbentibus, compoſitus eſt, vnicapſularis, placentam ferens majusculam, fungoſam, albam, quatuor ſuis cardinibus in totidem excurrentem alas, longitudinales, foliaceas, membranoſas, verſus ſulci cymbarum mediaſtini ipſi quoque placentae impreſſi, parietem, ſui quidem lateris ſpiraliter introuolutas, leuiter elaſticas, ſub elaſtica ſui pariter atque ipſorum Cymbae vtriusque marginum retrovolutione ſpargentes ſemina, ſingulari ſingulis alis ordine perpendiculari quidem affixa, paruula, irregulariter anguloſa, laeuia, ſubfusca.

fuſca. Odor florum admodum debilis eſt; foliorum ad ſenſum nullus: ſapor in herbaceo ſubamaricans. Inuenitur in apricis montanis, herbidis ſiccioribus, ſaxoſis glareoſisque Dauriae.

Eandem hancce plantam Gmelinus quoque obſeruauit in montoſis Schilkae et Arguni fluuiorum, deſcripſit et delineari curauit ſub nouo nomine generico PHYTEUMATIS Linariae folio, ignarus Meſſerſchmidium illam jam ſatis accurate deſcripſiſſe. Deerat autem in Meſſerſchmidianis obſeruationibus icon, quam igitur ex Gmelinianis ſumptam deſcriptioni huic adjungimus. Floris vero adumbrationem a Gmelino factam idcirco addimus, vt ejus delineatae in Tab. I. Fig. 2. partes melius intelligantur. Ea autem ſic ſe habet: e foliorum alis, plerumque in ſummitate caulis tantum, ſed non raro etiam per totam ejus longitudinem egrediuntur interdum vnus, interdum duo flores, ſpecioſi, grati odoris, interne flaui, verſus inferiorem partem rubris punctis variegati, externe dilutioris coloris, rictum exprimentes et in duo quaſi labia fiſſi, quarum ſuperius a interne concauum, externe conuexum eſt, atque in duas lacinias fiſſum et reflexum; inferius b in tres lacinias, quarum media anguſtiſſima eſt, finditur, et in medio multum protuberat. Poſterior pars floris c in tubum longum deſinit, e quo quatuor ſtamina alba ſurgunt, apicibus albis, bifidis et deorſum flexis inſtructa. Piſtillum d d, ex albo viridescens, ſuperius incuruum, poſteriori floris parti inſtar claui infixum, in fructum abit, ab Adhatodae fructu forma externa non multum abludentem, niſi quod breuior ſit et ſe-

cun-

eundum altitudinem ſulcatus. Hujus autem ſtructuram, quia fructus nondum maturus erat, exacte aſſequi non potui. Litera e fructum exhibet, quem delineari curaui ex fructibus ſiccis a Meſſerſchmidio ante plures annos lectis. Lit. f. calycem demonſtrat.

48. PHLOMIS Hormini folio, floribus paruis, ſuaue rubentibus, villoſiſſimis.

Elegantem hancce Phlomidis ſpeciem primus nobiscum communicauit Heinzelmanus, qui eam ex Baskirorum regionibus et Nagaicis campis attulit. Poſtea in Obſeruationibus Gmelinianis ſub titulo an Galeopſis maxima foliis Hormini Buxb. Cent. I. T. VI? ſequentibus verbis deſcriptam reperi: e radice fibroſa caulis aſſurgit, quinque cubitorum altitudinem nonnunquam ſuperans, mox ab exortu ramos plurimos per paria emittens vsque ad duas tertias altitudinis partes. Folia caules veſtiunt ex adverſo bina, ſerrata, foliis Hormini analoga, inferius majora, ſuperius minora. In foliorum ſinubus verticilli florum carnei coloris, quorum labium ſuperius ſurrectum, ſubrotundum, inſtar cochleahim excauatum, ſuperna et poſteriori parte hispidum, inferius in tres partes prope aequales diuiſum. Flores calyci inſident oblongo, ſtriato, ſuperius in quinque extremitates acutas non pungentes abeunti, et quatuor in baſi ſemina condenti. Inter Taram vrbem et Iamus-

cheuienſe

cheuienſe fortalitium locis pinguibus paſſim proueniebat, Iunio Iulioque menſibus. Odor, quem Buxbaumius de ſua planta praedicat et altitudo multo minor, faciunt vt dubitem an ea planta ſit, quam Buxbaumius deſcripſit. Hactenus Gmelinus.

Cum in Buxbaumii icone nec flores nec calyces ſatis accurate delineati ſint, et ſpecimina ſicca plantae ab eodem obſeruatae non exſtent, determinari nondum poteſt, vtrum eadem planta ſit nec ne? Quidquid autem ſit, potius ad Phlomidis quam Galeopſidis genus referri debere exiſtimo, licet labium floris ſuperius non prorſus inferiori incumbat. Gmelinianae porro deſcriptioni ſequentia addenda habeo, quod ſcilicet folia inferiora a ſuperioribus valde differant; illa enim hisce multo ſunt majora, latiora, hirſutiora, longioribus et piloſioribus pediculis inſidentia, ſuperne rugoſa, inferne admodum neruoſa, ad baſin aurita; ſuperiora vero breuibus aut nullis fere pediculis ſuſtentata multo praecedentibus ſunt anguſtiora, minus hirſuta, acutiora, ad baſin non aurita: quod calyces tubulati ſint, dimidiam fere vnciam longi, angulati et ſtriati, glabri vtplurimum, dilute virides, ad baſin ligulis aliquot ſeu criſtis rigidulis et plumatis vel hirtis inſtructi: quod labium florum ſuperius, modo magis modo minus ſurrectum, in dorſo et ad oras praecipue pilis albiſſimis et denſiſſimis praeditum ſit, lineam fere longis: quod caules quadranguli ſint, penitus glabri, purpurei.

49. PHLOMIS Vrticae foliis, glabra.

Flores et calyces vt in praecedenti; criſtae autem

autem calycum minus plumatae ſunt et vtplurimum glabrae. Caules purpurei itidem, minus ramoſi, foliis longis, glabris, anguſtis, profunde et acute dentatis veſtiti, ad Lamii vel Vrticae folia quodammodo accedentibus.

Apud Baskiros legit Heinzelmanus, in Sibiria vlteriori Gmelinus.

50. PHLOMIS Hormini folio anguſtiore, ſubtus incano, flore minori, purpurascente.

Haec a Phlomide Narbonenſi, Hormini folio, flore purpurascente Inſt. r. h. pag. 178, differt caulibus glabris, magis ramoſis; foliis anguſtioribus, acutioribus, ſubtus incanis et tomentoſis, ſuperioribus integris ſeu minime ſerratis, anguſtiſſimis; floribus in verticillis paucioribus, minoribus; calycibus minus hirſutis, tenuioribus et gracilioribus, longioribus et profundius ſulcatis, verticillorumque criſtis minus hirſutis, aut penitus fere glabris.

In deſertis ad Iaicum et Samaram fluuios reperit Heinzelmanus.

51. CASSIDA montana, anguſtifolia, alba, ſemine nigro Meſſerſchm.

Ad Macarowa amnem prope Nerzinskoy oppidum Auguſto menſe inuenit Auctor.

52. CASSIDA latifolia, Menthae facie, ſemine flauicante Meſſerſchm.

F Inter

Inter *Saganskoë* et Abacanskoë munimenta ad Ieniſeam fluuium obſeruauit Meſſerſchmidius.

53. CASSIDA Moldauicae folio.

In montoſis ad fluuium Yk et Simbir ſponte prouenit.

54. CASSIDA montana, foliis oblongis non crenatis Gmel. Tab. VI.

Radix ad tres pedis quadrantes et longius in terram demiſſa, carnoſa, ſuperius craſſior, inferius tenuior, extus et intus flaua, viticulis aliquot transuerſis repens, ſuperius interdum tuberoſa, ſaporis ſubamari, acriusculi, quinque vsque ad octo caules tenues, quadratos, firmos, inferius rubentes, ſuperius pallide virides, emittit, breui poſt exortum foliis per breuia interualla ſtipatos, ex aduerſo binis, vtrinque viridibus, inferne tamen dilutioribus et leuiſſime hirſutis, neruoſis, cruciatim diſpoſitis, e quorum alis ſubinde ramuli exſurgunt ad exortum rubentes, ſuperius virides, foliis reliquis ſimilibus ſed minoribus veſtiti. Flores violacei fere coloris in ſummis caulibus et ramulis in ſpicam diſponuntur vnum latus ſpectantes. Ea vero ſpica conſtat ex pluribus foliolis ex aduerſo binis per breuia interualla poſitis, reliquis, quae caules inueſtiunt, niſi quod minora ſint, aequalibus, e quorum alis duo ſemper flores emergunt, calyce Caſſidae ſusſtentati. Caules vnius anni pereunt; radix reſtibilis eſt, et ſingulis annis noua germina protrudit. In montoſis Nertſchiae et Argunienſium officinarum menſe Iulio et Auguſto floret. Gmel.

55. CAS-

55. CASSIDA montana, foliis oblongis crenatis Gmel.

Haec in Selengae montoſis ſub finem Iunii menſis floret. Facie externa multum cum jam deſcripta conuenit, ſed caulibus tenerioribus, foliis leuiter crenatis, radice alba, tenera, et floribus non in compacta ſpica prodeuntibus differt. Gmel.

56. MOLDAVICA minor, canescens, Chamaedryos folio Tab. VII. F. 1.

Gmelinus hanc ſub titulo Moldauicae foliis longioribus, profunde et raro ſerratis ita deſcribit: radix nec craſſa, nec profunde radicata, albens, multis fibris ſtipata plures caules emittit, cubitum altos, quorum quidam verſus terram reclinantur, plurimi erecti ſunt, concaui, quadranguli, mox intenſe, mox leuiter purpurascentes, interdum etiam virides. Folia caules et ramos ornant ex aduerſo bina, inſigniter neruoſa, ſuperius laete viridia, inferius pallidiora, profunde et parcius ſerrata, e quibus non niſi inferius vnum et alterum conſpicitur, e baſi latiori in acutum mucronem deſinens; reliqua enim omnia tam circa baſin, quam per reliquam longitudinem anguſta ſunt, at acutiori fine terminantur. Verticilli florum dimidiam fere caulis longitudinem occupant, inferioribus plus pollicem a ſe inuicem diſſitis. Flores in ſingulis verticillis, duobus vel tribus inferioribus exceptis, quinque plerumque, caerulei, labio inferiori interne albo et caeruleis punctis ornato. Structura florum et calycis eadem eſt ac in reliquis Moldauicae ſpeciebus; labium enim ſuperius nec cochlearis inſtar excauatum, nec falcatum dici meretur,

 ſed

ſed ſtructurae eſt mediae inter vtrumque. Tubus inferior florum albet. Stamina caerulea apicibus albis inſtructa. Calyces hirſuti ſunt et purpurascunt. Singulis verticillis quinque ſubſunt folia, quae, quo altius poſita, eo minora ſunt. E ſingulis autem foliorum verticillis ſubjectorum dentibus, quibus ſerrata ſunt, filamenta, in veteri imprimis planta, albentia producuntur, quae faciunt, vt folia quaſi pinnata videantur. Embryones quatuor raro omnes ſuccrescunt; abeunt autem in ſemina oblonga, triangularia, ſordide viridia, in altera extremitate hilo quaſi albo notata. Odor plantae grauis, Citri fortem odorem ſpirans, non ingratus. Sapor aromaticus.

Ad Vdam fluuium menſe Auguſto circa Vdinium vrbem inuenit. Selengae eadem tam in rupe Obmannoi Camen dicta, quam in valle infra vrbem ſub finem Iunii menſis floruit.

Folia ſpeciminum, quae nobis ex ſeminibus a Gmelino ex Dauria ſub eodem titulo miſſis enata ſunt, multo minora erant foliis Moldauicae Betonicae folio, flore caeruleo Inſt. r. h. 184, breuiora etiam et profundius dentata, aut in breues potius lacinias diſſecta, ad Chamaedryos magis quam ad Betonicae folia accedentia, cineracea aut canescentia, conſiſtentiae multo craſſioris et firmioris.

57. MOLDAUICA Betonicae folio, floribus minoribus, caeruleis, pendulis.

Caulis in ſpecimine ſicco, quod Gmelinus ex inſula quadam ad oſtium Vdae fluuii ex aduerſo Vdinii

nii vrbis ſita, miſit, purpurascens erat, quadrangulus, breuiſſimo tomento obſitus, dimidio pede paullo altior, mox in plures ramos laterales ex oppoſito ſemper binos diuaricatus, creberrime geniculatus. E geniculis tribus inferioribus folia oriebantur ſescuncialibus et biuncialibus pediculis inſidentia, glabra, obtuſa, pollicem plus minus longa, prope baſin fere tantundem lata, in ambitu crenata. Quae ex ſuperioribus geniculis enascebantur tam caulis ipſius quam lateralium ramorum multo erant anguſtiora, breuiora, acutiora, vt plurimut non crenata, breuiſſimis pediculis fulta. Ex horum alis calyculi egrediebantur purpureo violacei, inferne tubulati, ſtriati et piloſi, ſuperne in quinque ſegmenta inaequalia, vnum ſcilicet latum ſubrotundum et quatuor anguſtiſſima et acutiſſima diuiſi, in verticillos tenues congeſti, flores ſuſtinentes Moldauicae vulgaris Betonicae folio Inſt. r. h. multo minores, caeruleos. Singulis porro verticillis ſuberant foliola aliquot oblonga non crenata, nec piloſa. In extremo caulis et ramorum verticilli florum ad breuiſſima interualla diſpoſiti erant, et quaſi in ſpicas compacti.

Haec eſt junioris et vix florere incipientis ſylueſtris plantae facies. Sata in Horto Academico ſemina in plantas excreuerunt, ſpecimine ſicco in loco natali lecto, multo elatiores, ramoſiores, flores in laxioribus et longius a ſe inuicem diſſitis verticillis gerentes, vtplurimum pendulos, aut horizontali ſitu diſpoſitos, labiatos, quorum labium ſuperius anguſtum, fornicatum, bifidum et ſurſum parum reflexum erat; inferius vero in duo ſegmenta ſubrotunda et parum ex-

F 3 cauata

cauata diſſectum, rictu valde anguſto, paulum compreſſo, oblongo, ad margines aurito, et purpureo-violaceis hinc inde punctis notato. Semina parua ſunt oblonga, ſpadicea. Vltra ſedecim flores in ſingulis verticillis non numeraui. Odorem vero nullum deprehendere potui. Iulio Auguſtoque menſibus florebat.

58. MOLDAUICA Betonicae folio, floribus minimis pallide caeruleis.

Eradice fibroſa, modo annua, modo bienni caules aliquot ſurgunt quadranguli, leuiter hirſuti, virides aut purpurascentes, quatuor vel quinque pedes alti. Folia quae circa radicem nascuntur, forma, colore, magnitudine, marginumque crenis ad Betonicae vulgaris folia accedunt, ſuntque vtplurimum ſubtus purpureo violacea, vtrinque parum hirſuta, pediculisque ſuſtentantur vncialibus aut ſescuncialibus. Illa autem quae ex caulium geniculis oriuntur modo deſcriptis ſunt anguſtiora et acutiora; quae prope medium eorundem poſita ſunt, breuiſſimus fulciuntur pediculis, quae vero ſummitatem verſus nascuntur, plane ſeſſilia ſunt, breuia, valde anguſta, acuta et minime crenata. Caules ſupra dicti modo recti, modo in terram reclinati, ſtatim a radice plures laterales ramos emittunt, bipedales aut tripedales, conjugatos, qui et ipſi in minores ramulos diuiſi ſunt. Verticilli florum fere ab ima ramorum parte ad apicem vsque e foliorum alis enascuntur, denſi ſatis, prope eorundem exortum ad triuncialia praeter propter, verſus medium et extremum ſenſim ſenſimque ad minora interualla diſpoſiti. Flores minutiſſimi ſunt,

ſunt, vix extra calycem protenſi, pallide caerulei, monopetali, labiati, quorum labium ſuperius leuiter bifidum et planum fere, inferius pariter bifidum et parum inflexum, fauces marginatas verſus atris minutisſimis maculis inſignitum. Calycibus autem continentur paruis, gracilibus, ſtriatis, hirtis, parum ventricoſis, ſuperne in quinque ſegmenta inaeqnalia diuiſis, quorum vnum ſurrectum et latiusculum eſt in rigidum et acutiſſimum mucronem definens, quatuor vero reliqua ſpinulas magis quam ſegmenta referunt. Singulis verticillis, praeter duo folia, in quorum ſinubus continentur, alia adhuc ſubſunt minutiſſima, ſubrotunda, integra. Flores delapſos ſubſequuntur quatuor ſemina oblonga, parua, fuſca, calycis fundo adhaerentia. Per totam fere aeſtatem floret. Integra planta leuiter aromaticum ſpirat odorem.

In tractibus ad Iaikum flumen prope Oropolim, nec non circa Vralenſes montes reperit Heinzelmanus, ex cujus ibidem lectis ſeminibus nobis enata eſt.

59. BALLOTE foliis Geranii Batrachioidis Gmel.

E radice tres pollices longa, aromatici ſaporis, caules eriguntur quadranguli, firmi et craſſi, lana ſpisſa adhaerente incani, duos palmos et plus alti, folia duo ex aduerſo bina, circumſcriptione fere rotunda, Geranii Batrachioidis diuiſura, ſuperne inſigniter virentia, asperiuscula, inferne cana et lanuginoſa, emittentes. Circa medium caulis e foliorum alis verticilli denſi florum albentium, incanorum, ſpecioſorum, ca-

lyce

lyce ſuperius in quinque acutas lacinias ſpinis analogas deſinente, ſuſtentatorum, prodire incipiunt, qui et ad faſtigium vsque ſpiſſa ſerie continuantur.

Circa medium Iunii menſis in rupe Lubkowoi Kamen dicta florens ſicca ad me transmiſſa fuit. Gmel.

60. BALLOTE inodora, foliis Coronopi Gmel. Tab. VIII.

E radice in aliquot capita diuiſa, tenui, ſarmentis longiſſimis, non vltra dimidium pedem terrae immerſis, ſerpente, fibris multis capillata, pallide luteſcente, intus alba, lignoſa fere et ruptu facili, ſeptem, octo et nouem caules ſurgunt cubitales, ſesquicubitales et bicubitales, quadranguli, medulla alba ſpongioſa farcti, firmi, ruptu faciles, ſecundum longitudinem carinati, violacei fere coloris, quorum quidam variis curuaturis luxuriant, quidam recti ascendunt, et mox a radice hinc inde intumescunt, iisdemque in locis ramos ex adverſo binos, pedales et cubitales, quadrangulos pariter et violaceo colore gaudentes, emittunt, qui imprimis inferius ſiti, eadem ratione rurſus diuiduntur. Raro contingit, vt plus duobus vel tribus ramorum paribus ex eodem caule egrediantur, iique vltra quadrantem pedis haud a ſe inuicem diſſiti ſunt. Ab eo loco, vbi caulis diuiditur, floribus et foliis ornari incipit. Flores autem in verticillis denſis, quorum inferiores, tres et quatuor pollices, ſuperiores vnum, dimidium et quartam partem pollicis a ſe inuicem diſtant, naſcuntur rubri, externe dilutioris coloris et hirſuti, ſtaminibus rubentibus, quorum apices fuſci et tanquam hilo luteſcenti ornati ſunt, inſtructi. Floris ſtruc-

ſtructura plane eadem eſt ac Ballotes vulgaris. Labium ſuperius integrum et cochlearis inſtar excauatum, inferius in tres lacinias prope aequales fiſſum. Vnicum floris exemplum vidi, quod labium ſuperius in cordis formam fiſſum habebat. Singulis florum verticillis duo ſubſunt folia mollia, Coronopi folia diuiſura imitantia, pulchre viridia, inferne pallidiora, admodum neruoſa, in tres ſemper lacinias principales fiſſa, inferioribus amplioribus et in plures partes ſectis, ſuperioribus anguſtioribus raroque ſubdiuiſis, et violaceis interdum maculis asperſis. Calyces pentagoni, in quinque partes acutas, pungentes, ſtellae in modum expanſi, inferius virides, ſuperius e violaceo nigrescentes, quatuor ſemina condentes, anguloſa. Figura ramum tantum exhibet. Folium appictum ex inferioribus caulis eſt. Gmelinus.

Circa Vdinium vrbem ad Vdam fluuium menſe Auguſto flores et ſemina fert.

61. GALEOPSIS longifolia, villoſa et incana.

Facie externa, crescendique modo ad Galeopſidem paluſtrem, Betonicae folio, flore variegato Inſt. r. h. 185, quam proxime accedit; differt caulibus albente lanugine penitus obtectis; foliis multo longioribus, anguſtioribus, acutioribus, rugoſioribns, vtrinque incanis et villoſis, caulem ad breuiora interualla arcte amplexantibus; floribus in caulium ſummitate in verticillos denſiſſimos congeſtis; calycibus minoribus et villoſiſſimis.

62. CARDIACA foliis tenuius et profundius inciſis, glabra.

Semina ab Heinzelmano in deſertis prope Oropolim, ad Iaicum et Samaram fluuios ſitis lecta, primo a ſatu anno in plantas excreuerunt quatuor aut quinque pedes altas. Radix craſſiuscula, innumeras fere fibras emittens, perennis eſt. Caules quadranguli, laeues, ſtriati et ſulcati, ramoſi, infirmi, recti vtplurimum, ſubinde et terram verſus reclinati ſunt. Folia inferiora in quinque aut plures lacinias laciniatas, fere ad pediculum vsque diuiſa, quae vero verſus medium caulium crescunt, in tres praecipuas lacinias profunde diſſecta ſunt, haeque iterum in minores, tenuiores et non raro dentatas. Ea demum, quae in caulium et ramorum ſummitatibus proueniunt, in tria ſemper ſegmenta anguſtiſſima et acutiſſima, integra, admodum profunde diuiſa ſunt. Omnia haec folia prorſus glabra ſunt, ſuperne obscure viridia, inferne pallidora. Flores, calyces et ſemina vt in Cardiaca vulgari I. B. flores tamen mihi minus villoſi videbantur, verticillique crebriores et denſiores, ita vt verſus ſupremum caulis alter alterum fere tangeret.

63. CARDIACA foliis tenuius et profundius inciſis, villoſa.

Haec eundem quem praecedens locum natalem habet, et ei per omnia ſimilis eſt, niſi quod caules et folia, tam ſuperne quam inferne admodum villoſa ſint.

64. RUYSCHIANA glabra, foliis integris.

65 RUYSCHIANA hirſuta, foliis laciniatis.

Duas

Duas haſce perelegantes plantas fere omnes rei herbariae ſcriptores, qui de iis mentionem fecerunt, ambas pro vna eademque planta habuerunt, quanquam omnino inter ſe diuerſae ſint. Prioris enim partes vniuerſae glabrae ſunt; folia ſimplicia, anguſta, ad Hyſſopi aut Roriſmarini folia quodammodo accedentia, bina, quaterna aut plura, confertim ſtellatarum ſic dictarum plantarum in modum caulem ambientia. Haec copioſe in Caſanenſi regno et Sibiria prouenit. Poſterior vbique hirſuta eſt, et folia obtinet in tres aut plures ſubinde lacinias profunde diuiſa. Haec in regionibus modo dictis nondum reperta eſt. Prioris ſynonyma ſunt: Pſeudo-Chamaepitys Riv. et Ruyſchiana flore caeruleo, magno Boerh. Ind. alt. 1. pag. 172. Poſterioris vero Chamaepitys Auſtriaca Cluſ. Hiſt. CLXXXV. Chamaepitys caerulea Auſtriaca C. B. P. 250, et Hyſſopus Auſtriaca, magno flore, folio Chamaepitydis H. L. B.

66. CLINOPODIUM ſupinum, incanum.

Caules obtuſe quadranguli, pedales aut ſesquipedales, incani, ſupini, crebro geniculati, e ſingulis geniculis folia emittunt parua, vtrinque acuta, ſemuncia raro longiora, ſaepe breuiora, in medio quadrantem aut trientem pollicis lata, cinerea, laeuia, rigidiuscula, et neruoſa, breuiſſimis pediculis fulta. E ſingulis horum foliorum alis ramuli ſurgunt ex oppoſito ſemper bini, erecti, biunciales aut triunciales, incano et breuiſſimo tomento obducti, foliis veſtiti modo dictis ſimilibus, ad quorum penultimam foliorum conjugatio-

nem vtplurimum: flores demum emergere; ex alis inci-
piunt, pauci admodum, duo, tres aut quatuor tantum;
mox autem ſupra hanc non amplius in verticillos diſpo-
ſiti, ſed potius in laxa capitula, foliolis aliquot ſubro-
tundis ad baſin praedita, congeſti videntur; ſuntque in-
ſerne tubuloſi, fere vnciam dimidiam longi, admodum
graciles, ſuperne in quatuor fere aequalia ſegmenta ſub-
rotunda et ſuaue rubentia diſſecti, quorum vnum ſur-
rectum eſt, reliqua parum deorſum flexa ſunt. Sta-
mina admodum longa, extra floris aperturam protenſa-
flaua, apicibus oblongis fuſcis onuſta ſunt, quantum
quidem in ſicca discernere licet. Hi autem flores ca-
lyculis ſuſtinentur, tubulatis, valde anguſtis, quadrantem
circiter pollicis longis, ſtriatis, incanis, pubescentibus,
ſuperne in quinque ſegmenta breuia, anguſta, acuta et
aequalia diuiſis, pediculisque inſidentibus lineam plus
minus longis. Ex Sibiria Gmelinus miſit.

67. SERPYLLUM odoratiſſimum, glabrum longiore
anguſtioreque folio.

In Sibiria ſponte prouenit.

68. SERPYLLUM ramoſisſſimum, hirſutum, angu-
ſtifolium, flosculis violaceis.

Raram hanc Serpylli ſpeciem in locis deſertis
intra Tanaim majorem ſeu Don et minorem ſeu Do-
nez fluuios A. Ribeiro Sanches Luſitanus Medicus doc-
tiſſimus atque peritiſſimus primus reperit, et nobiscum
communicauit.

Cauli-

Caulibus ſurgit teretibus, lignoſis, flexibilibus ad pedalem aut ſesquipedalem altitudinem, hisque ab imo fere ad apicem vsque ramuli adnascuntur numeroſiſſimi, vnciales aut ſescunciales, purpureo-violacei, foliolis veſtiti creberrimis, vnciae trientem circiter longis, lineae dimidiam partem nunquam ſuperantibus, ſesſilibus, nigricantibus et minutiſſimis punctis vtrinque notatis, prope baſin pilos aliquot canescentes ex vtroque latere emittentibus, nullo certo ordine et tam denſe congeſtis, vt ramulos fere obtegant. In ſingulorum ramulorum ſummitatibus oriuntur calyculi parui, numero ſeptem, octo aut nouem, extus parum hirſuti, ſtriati, purpureo-violacei, intus albente lanugine obſiti, floſculos continentes admodum exiles, qui eundem quem calyculi colorem, eandem quam congeneres ſtructuram referunt.

69. LAUENDULA montana, folio Valerianellae varie ſecto, caerulea Meſſerſchm.

Sub Menthae titulo Gmelinus ex montoſis Dauriae herbam miſit, quae mihi ab hac non differre videtur; caule erat tenui, quadrangulo, erecto, non ramoſo, hirſuto, foliis ad ſescuncialia interualla veſtito, varie ſectis, vtrinque hirſutis, pollicem circiter longis, extremo in tres vtplurimum lacinias, ſimplices, non dentatas, modo latiores, modo anguſtiores, modo magis, modo minus profunde diuiſis, ad baſin quaſi pinnatis, pinnulis vel ſingularibus, vel conjugatis, laciniis ſupra dictis triplo aut quadruplo minoribus et anguſtioribus. Verſus ſummitatem hujus caulis vnicus conſpiciebatur

ciebatur verticillus, conſtans ex calyculis lanuginoſis, violaceis, Lavendulae calycibus omnino reſpondentibus. Mox ſupra hunc verticillum calyculi et flores in denſam ſpicam, pollicem et dimidium longam, congeſti erant. Florum nec colorem nec ſtructuram in ſicca accurate obſeruare potui.

De ſua planta Meſſerſchmidius in Diario ſequentia tantum habet Germanico idiomante conſcripta: ad Kareſch Iull plantam elegantem reperi, ad Lauendulam odore praeſertim, omnino accedentem, exceptis foliis, quae partim lata et ſubrotunda vel ovata erant, in margine profunde crenata, partim in lacinias alte diſſecta. Flores admodum exigui erant, in ſpicas Lauendulae ad inſtar diſpoſiti.

70. AMETHYSTINA montana, erecta, foliis exiguis digitatis, trifidis, ſerratis, floſculis cum coma in caeruleo janthinis Meſſerſchm.

Praeter nomen et quod ad Claſſem quartam Inſt. r. h. pertineat, apud Auctorem nil extat. Prouenit in montanis Arbat Iabaſch et Abacan.

71. NASTURTIUM humile ramoſiſſimum, oblongiusculo et anguſto folio integro, floſculis luteis Meſſerſchm.

72. LEUCOIUM fruticoſum latifolium, albo flore, ſeminibus in ſiliqua longa compreſſa, orbicularibus, emarginatis, rufis Meſſerſchm.

73. HEPERIS piloſa, minor, anguſtifolia, floribus amplis, purpureis.

E radice craſſa, profunde in terram demiſſa, folia nascuntur quam plurima, partim erecta, partim per terram ſparſa, pollicaria aut ſesquipollicaria, laete viridia, lineas duas latitudine raro ſuperantia, nullis pediculis fulta, ad margines et in vtraque ſuperficie longiusculis et canescentibus pilis inſtructa, integra, baſi anguſta praedita, in obtuſum apicem deſinentia. Inter haec cauliculi ſurgunt quatuor aut quinque, angulati, tenues admodum, leuiter piloſi, dimidium circiter pedem alti, foliis veſtiti alternis, praecedentibus quae circa radicem nascuntur, ſimilibus, ſed anguſtioribus, minusque piloſis. Horum cauliculorum ſummitatem verſus pediculi oriuntur, plures, praetenues, hirti, ſemunciam longi, ſinguli florem gerentes pro plantae magnitudine amplum, purpureum, tetrapetalum. Siliquas, quae floribus marcescentibus ſuccedebant, nondum matures, deſcribere nequeo.

Ad Selengae fluuii ripam ſub Iunii menſis ſinem florentem cum ſequenti reperit Gmelinus.

74. HESPERIS minima, anguſtifolia incana, et piloſa, floribus albis.

75. HESPERIS hirta, pumila, anguſtiſſimis foliis, floribus purpurascentibus.

E ra-

E radice admodum tenui, parumque fibrata cauliculus oritur ſingularis, quatuor circiter vncias longus, gracilis, teres, inferne purpuraſcens, ſuperne cinereus, rectus, hirſutus, cui ad breuiſſima interualla adnaſcuntur folia pollicem plus minus longa, vix lineae dimidiam partem lata, craſſiuscula, viridia, glabra, nullis omnino pediculis ſuſtentata, cauliculum ſere obtegentia, qui verſus extremitatem demum in plures diuaricatur ramulos praetenues, vnciales aut ſescunciales, hiſpidos, foliis praecedentibus ſimilibus, ſed minoribus et paucioribus praeditos. Ex horum ramulorum lateribus petioli oriuntur, duas tresue lineas longi, tenuiſſimi, hiſpidi pariter, ſinguli in apice florem gerentes tetrapetalum, cruciatum, purpurascentem, majusculum. Flores delapſos ſubſequuntur ſiliculae ſemunciales, tenuiſſimae, teretes, glabrae et parum nodoſae, ſepto intermedio in duo loculamenta congenerum in modum diuiſae.

In Dauriae deſertis paſſim occurrit.

76. HESPERIS anguſtifolia, incana, floribus amplis, luteis, ſiliquas longioribus.

Gmelino haec audit: Hesperis foliis caryophyllaeis; ejusdem autem descriptio ſic ſe habet: palmari pedalique ſurgit altitudine, caule firmo, leuiter anguloſo, e radice tenui, longa, albente, paucis fibris capillata, mox ab exortu folia ſpargens ſine ordine numeroſa, caryophyllaeis ſimilia, incana. Plurimos fert flores tanquam in ſpica, majores, pallide luteos, quibus ſuccedunt ſiliquae Heſperidum ſiliquis ſimiles, ſemina condentes aurantii coloris.

In

In campis ſpatioſis Sibiriae paſſim ſub finem Iunii menſis florebat, et ad lacum Baikal menſe Septembri fructum ferebat.

77. HESPERIS anguſtifolia, incana, floribus amplis, luteis, ſiliquis breuioribus.

E radice ſatis craſſa, plures fibras capillares, albas, quaquauerſum emittente, plurima oriuntur folia tres aut quatuor vncias longa, integra, non dentata, pollicem latitudine raro ſuperantia, craſſiuscula, rigida, incana, arcuata et carinata. Inter haec media aeſtate caulis ſurgit valde craſſus, teres, bipedalis aut tripedalis, ſubincanus, foliis praecedentis ſimilibus, ſed anguſtioribus multo, rigidioribus et magis arcuatis, veſtitus. E ſingulis fere horum foliorum alis progreſſu temporis ramuli enascuntur cauli per omnia ſimiles. Verſus horum ramulorum et ipſius caulis ſummitatem ad longa ſatis interualla petioli egrediuntur lineam plus minus longi, ſinguli florem gerentes amplum, luteum, ex quatuor petalis planis, piſtillo, ſtaminibus apicibusque, vt in congeneribus, conſtantem, calyce ex quatuor foliolis compoſito contentum. Flores delapſos ſubſequuntur ſiliquae primo exquiſite quadrangulae, poſt parum compreſſae, incanae, pollicem plus minus longae in apice corniculatae, foetae ſeminibus paruis, oblongis, rubentibus. E ſeminibus ab Heinzelmano in Tataria lectis ſuccreuit.

Quam proxime ad praecedentem accedit; differt autem ſiliquis multo breuioribus, incanis et paulum

compreſſis; illius enim ſiliquae, ſaltem in ſpecimine ſicco Gmeliniano duas aut tres vncias longae ſunt, teretes et ſtriatae.

78. HESPERIS Piloſellae folio, hirſuta, ſiliquis breuibus corniculatis. An Cytiſi facie Alyſſon fruticans Lob. Ic. T. 2. p. 49?

79. TURRITIS latifolia, hirſuta, ſiliquis pendulis.

Hujus vt et praecedentis deſcriptionem dabimus alio tempore.

80. HYPECOON tenuifolium, ſiliquis erectis teretibus. Tab. IX.

Sub titulo Hypecoi tenuiore folio Inſt. r. h. 230, ſpecimina ſicca cum ſeminibus Gmelinus ex Dauria miſit. In catalogo plantarum in transbaikalenſibus regionibus obſeruatarum idem ſequentia notat ad pulchellam hancce plantulam ſpectantia: ſcribit nempe Lobelium flores huic ſpeciei Chelidonii floribus minores tribuiſſe; ſed ego, inquit idem, totidem exemplaria inueni, quae flores habebant Chelidonio majores, quam quae minores. Barrelierii porro icon florum hujus plantae peruerſam plane ideam ſuggerit et ſiliquas pendulas exhibet, quae tamen erectae ſunt. In icone quam Cluſius tradidit Hiſt. XCIII. florum ſtructura bene exhibetur. Cum itaque bona integrae hujus plantae figura nondum proſtet, meliorem dare placuit. Haec Gmelinus.

Miran-

Mirandum non eſt, Gmelinum nullam apud rei herbariae Scriptores iconem huic plantae exacte quoad omnes partes reſpondentem inueniſſe; eſt enim omnino diuerſa et hactenus incognita Hypecoi ſpecies; quod, vt credo, ex ſequenti deſcriptione, quam ex ejusdem ſeminibus anno praeterito in horto Academico enatis plantis exaraui, ſatis patebit.

E radice craſſiuscula, albenti, profunde terrae infixa, folia ſurgunt plurima, quatuor quinque aut ſex vncias longa, admodum tenera, glauca, in tenuiſſimas et anguſtiſſimas lacinias Abrotani in modum diſſecta, pediculis ſesquipollicaribus ad baſin purpurascentibus, ſuſtentata. E centro horum foliorum cauliculus vnus aut alter oritur teres, glaber, glaucus, ſatis craſſus, ſesquipedalis aut altior, ſupremum verſus in aliquot genicula diſtinctus, e quibus enascuntur foliola ex aduerſo bina, iis, quae circa radicem ſunt, ſimilia, ſed in pauciores, longiores et capillaceas fere lacinias diuiſa. Ex horum ſinubus ramuli egrediuntur caulibus ipſis analogi, et vnus aut alter pediculus valde tenuis, ſescuncialis, in apice florem gerens vnicum, flauum, pro plantae totius magnitudine amplum, ſpecioſum, ſingularis planae ſtructurae; conſtat enim ex quatuor petalis omnino diſſimilibus, quorum exteriora duo caeteris duplo ſunt latiora, ſemunciam longa, non ſtriata, in tenuem et acutum apicem excurrentia; reliqua duo multo breuiora et anguſtiora, ſtriis aliquot rubentibus inſignita, in ſummitate, baſi eorundem multo latiori, profunde in duas lacinias ſubrotundas ſecta, interiorem floris partem occupant, et exterioribus petalis quaſi ap-

preſſa ſunt, ita vt proprie hic flos Cruciatus nuncupari non poſſit. E calyce autem ex duobus foliolis anguſtis, acutis et viridibus compoſito, piſtillum ſurgit ſemunciam circiter longum, tenue, glaucum, in ſummitate bifidum et corniculatum, duobus ſtaminibus e ſinu interiorum petalorum ortum ducentibus, oblongis et flaueſcentibus apicibus onuſtis, piſtillo initio arcte adhaerentibus, ſtipatum, quod deinde marceſcentibus floribus in ſiliquam excreſcit pollicarem aut ſesquipollicarem, erectam, teretem et parum nodoſam, admodum gracilem, vix lineam latam, extus glaucam, intus nigricantem, vnicapſularem biualuem, non articulatam, ſeminibus foetam paruis, nigricantibus, octangulis. In ſummitate vero tam caulium quam ramulorum flores confertim plures oriuntur, quaſi in vmbellam diſpoſiti, et breuibus admodum pediculis fulti.

Notandum hanc eſſe deſcriptionem plantae in horto cultae; ſpecimina vero ſicca a Gmelino in loco natali lecta multo eſſe minora minusque ramoſa, caulibus in ſummitate tantum vno aut altero flore onuſtis. Tale Tab. IX. F. 1. exhibet, quam idem in Dauria delineari curauit; fig. 2. petalum floris exterius et majus repraeſentat; fig. 3. petalum ejusdem interius et minus; fig. 4. piſtillum cum appreſſis ſtaminibus; fig. 5. piſtillum nudum; fig. 6. ſiliquam cum ſeminibus demonſtrat.

Data hac deſcriptione, figuris Gmelinianis illuſtrata, vix operae pretium eſſe exiſtimo, vlterius explicare, quantum haec planta ab Hypecoo latiore folio et Hypecoo tenuiore folio Inſt. r. h. pag. 230, differat.

differat. Petalorum filiquarumque ſtructura et ſeminum forma ſatis ſuperque euincunt, quam diſtincta ſit a modo dictis herbula. Vereor magis, ne nouorum generum nominumque nimis ſtudioſi fabricatores mihi objiciant, hancce plantulam proprie ad Hypecoi genus a Celeb. Tournefortio definitum, propter ſiliquas non articulatas et ſeminum formam octangulam, referri non poſſe. Confiteor has ob notas, Tournefortianae definitioni contrarias, ſtricte ad idem genus non pertinere. Verum ſi conſideramus, habitum hujus plantae externum cum duabus adhuc notis Hypecoi ſpeciebus omnino conuenire; ſi ponimus notam characteriſticam hujus generis eſſentialem conſiſtere in duorum petalorum disſimilium paribus, nemo facile negabit, ad idem prorſus genus referri poſſe, licet ſiliquas habeat non articuloſas. Igitur hujus generis character, mutatis in definitione Tournefortiana mutandis, hic eſto: HYPECOON eſt plantae genus, flore tetrapetalo, ex duobus ſcilicet petalorum diſſimilium et varie ſectorum petalorum paribus compoſito; ex cujus calyce bifolio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam articuloſam, aut vnicapſularem, ſeminibus foetam reniformibus vel anguloſis.

81. PAPAUER erraticum, luteo flore, capite oblongo, hiſpido Meſſerſchm. Xen. Iſid. Sibir.

In Diario ejusdem Auctoris ſequentibus verbis

 de-

deſcriptam raram et elegantem hancce plantam reperi: radice eſt recta, fuſco cortice tecta, intus alba, ſuccida, fibris carneis non rectis, ſed circa radicis axem in ſpiram conuolutis, perenni; foliis a radice pluribus, confertis, ſaltim non procumbentibus, longo petiolo praeditis, verſus caulem cannulato vel canaliculato potius, ab auerſa conuexo, profunde inciſis, fere ad neruum vsque, caeterum ad Lobelii Argemonem ſic ſatis accedentibus, vtrinque laete viridibus et hiſpidis; caule e foliorum vmbilicis ſingulis ſingulari, (ab vna vero radice vmbilici foliorum plures,) alterum fere pedem alto, foliis nudo, tereti, non diuaricante, ſed ſimpliciſſimo, recto, viridi dilutiore, pilis hiſpido, inani, vel non omnino pleno neque farcto, lacteſcente; flore in caulis ſummitate calyci bifolio mature deciduo, viridi, inſidente, ſingulari, roſaceo, tetrapetalo, petalis velut circuli cujusdam in tres partes diuiſi ſegmenta imitantibus, latiſſimis, ambitu integris, inodoris, ſtaminibusque praedito ex floris vmbilico ſurgentibus, plurimis, tenuiſſimis, flauis, pollicem fere dimidium longis, apiculo intenſius flauo inſtructis; piſtillo inter ſtamina medio e calyce aſſurgente, abeunte in fructum ſeu teſtam fere cylindraceam, vnicapſularem, hiſpidam, coſtis longitudinalibus ab interna ſuperficie in lamellas foliaceas abeuntibus, axem tamen non contingentibus, vel ſenis vel octonis intergerinis praeditam, capitelloque ceu pileolo pro numero coſtarum vel ſexies vel octies radiato, tectam, ſub quo totidem ſpiracula dehiſcunt, ſemina fundentia quam plurima, rotunda, fuſca, lamellatis coſtis vtrinque adhaerentia, vulgari Papauere multo mino-

minora. Odor plantae, qualis in omni Papauere, nauſeoſus, grauatiuus.

Secundum hanc Meſſerſchmidii deſcriptionem ſpecies haec differre videtur a Papauere erratico, nudicauli, flore flauo, odorato Dill. Hort. Elth. p. 302 Tab. CCXXIV. f. 291, radice craſſiori, perenni; floribus inodoris; ſeminum receptaculo longiori et fere cylindraceo.

Gmelinus eandem hancce plantam ad Ingodam et Schilkam fluuios Dauriae menſe Iunio florentem obſeruauit.

82. PAPAVER erraticum, luteo flore, capite oblongo, laeui Meſſerſchm.

Et hanc Meſſerſchmidius in Diario ſuo ſub titulo Papaueris erratici, ſaxatilis, lutei, capite oblongo, laeui, foliis Cornu Cerui diuiſura inciſis, procumbentibus, caule nudo, ita deſcribit: radicem habet perennem, pluries diuaricatam, late diffuſam, mollem, foris fuſcam, intus albam; folia ab ipſa radice confertim copioſa, longo petiolo inſtructa, deinde Cornu Cerui diuiſura inciſa, pallide viridia, glabra, ſubtus albidiora et ſubhirſuta; cauliculos inter folia plures, pedem ſaepe cum ſemiſſe altos, teretes, rectos, non geniculatos, nudos, laeui ſolum hirſutie praeditos, in quorum ſummo flores ſingulares, roſacei, tetrapetali, citri colore flaui, quorum piſtillum, ſtaminibus quamplurimis cinctum, abit in teſtam oblongam, pentaëdram capitello pentagono tectam, vnicapſularem, in ſpiracula totidem, quot ſunt capitelli latera, dehiſcentem, ſunden-

fundentemque ſemina, foliaceis laterum in teſta lamellulis perpendicularibus affixa, fere reniformia, minutula, obscure ſpadicea. Succus plantae lacteus eſt. Teſta vix dimidio pollice longior. Ad Ieniſeam fluuium occurrit.

83. ALSINE ſaxatilis, anguſto et oblongo Salicis folio, flore albo, tenuiſſime laciniato Meſſerſchm. Tab. X.

Radice tenui, lutescente, geniculata, ſatis profunde in terra repit, e ſingulis geniculis ramulos plerumque emittens, duos palmos altos, qui ab exortu foliis veſtiuntur crebris, ex aduerſo binis, pallide virentibus, hirſutis, duos pollices cum dimidio longis, mediocris latitudinis, figura ad Saligna accedentibus, non raro tamen latioribus. E ſummis foliorum alis aliquot pediculi ſurgunt, pollicem plus minus longi, teneri, flores ſuſtinentes pentapetalos, albos, quorum ſingula petala a Tab. X. in quinque lacinias profundas, ſingulae vero laciniae in duas partes minus profundas ſecantur. Stamina decem alba, apicibus luteis turgidiusculis inſtructa. Calyx et vasculum ſeminale Alſines.

Ad Gan fluuium in Argunum ſe exonerantem, et ad Ononem ſub initium Auguſti menſis Gmelinus obſeruauit, deſcripſit et delineari curauit ſub titulo Alſines florum petalis tenuiſſime et multifariam diſſectis.

84. ALSINE pumila, Gallii facie, foliis glaucis.

E radicula dura, flauescente, lignoſa, hinc inde intorta, parum fibroſa, foliola oriuntur quam plurima confertim naſcentia, anguſtiſſima, vix lineae quadran-

quadrantem lata, ſemunciam circiter longa, numero viginti et plura, glauca atque omnino glabra. E centro horum foliolorum cauliculi plures ex eadem radice enaſcuntur tenuiſſimi, teretes, flaueſcentes aut rubentes, glabri et quaſi politi, tribus, quatuor aut quinque geniculis ad vncialia praeter propter interualla diſtincti, e quibus totidem fere et omnino ſimilia iis, quae ad radicem ereſcunt, foliola egrediuntur, cauliculos ſtellatarum ſic dictarum plantarum in modum ſine vllis pediculis ambientia. Ex iisdem porro geniculis ramuli quoque exeunt, cauliculis ipſis per omnia analogi. E ſinubus autem foliolorum et ex ſummitatibus cauliculorum ramulorumque pediculi oriuntur tenuiſſimi, ſemunciales foliolis deſtituti, ſummitatem verſus in duos, tres aut quatuor ſubinde petiolos ejusdem fere longitudinis vmbellae in modum, diuiſi, quorum ſinguli floſculum gerunt minutiſſimum, albidum, ex quinque petalis et totidem ſtaminibus breuiſſimis cum apicibus oblongis flauis, compoſitum; petala baſin verſus viridia ad latera et in apice alba ſunt, ſtamina et piſtillum, penitus obtegentia, adeo vt haec examinare volenti neceſſe ſit cultello vel acicula illa diducere aut abſcindere. Embryo tandem, reſiduis, conniuentibus aut clauſis ſemper petalis, calycisque ſic quoque vicem gerentibus, excreſcit in vaſculum ſubrotundum, tenerrimum, pluribus minutiſſimis ſeminibus rufis repletum, placentae affixis.

Succreuit nobis rara haec plantula ex ſeminibus e ſpicimine ſicco a Gmelino in *Sibiria* lecto depromtis.

Alſine Madraspatana, Gallii foliis, floſculis communi pediculo ternis Pluk. Alm. 21. Tab. 128, fig. 3; Alſine ſaxifraga Indiae Orientalis, foliolis circa caulem radiatis, flore herbido et muſcoſo, ſiue Alſine ſpergula muſcoſa Indiae Orientalis, ſurrecta, cauliculis albicantibus, Perpauticum Malabarorum Ejusd. Mant. 9. Tab. 332. quae icon priori multo accuratior; et Spergula roſea, multicaulis, polyanthos, Madraspatana Petiuer Act. Philoſoph. Angl. N. 276, p. 1020 pl. 220, ab hac modo deſcripta aliter non differt, niſi foliolis ad radicem multo latioribus, breuioribus et ſubrotundis, reliqua autem, quae in cauliculis ramulisque creſcunt, vascula item ſeminifera, et reliquae partes omnino conueniunt, quantum quidem ex ſpeciminibus ſiccis in India Orientali lectis diſcernere mihi licuit. Spergula porro purpurea, minima Buxbaum. Cent. 3. p. 33. Tab. LXII. fig. 2. ſi figuram ſpectes nihil a noſtra differre videbitur.

85. ALSINE viſcoſa, longiſſimis et anguſtiſſimis foliis.

Circa radicem, in ſpecimine ſicco a Gmelino miſſo, quamplurima conſpiciebantur foliola emarcida, ſtraminea, denſiſſime congeſta et ſibi inuicem ſuperincumbentia, e quorum medio caulis ſurgebat ſingularis, teres, octo circiter pollices altus, rigidus, ſex tumentibus geniculis praeditus, ſummitatem verſus hirſutus et viſcoſus. E primo geniculo, quod duas circiter vncias a radice diſtabat, folia ex aduerſo bina oriebantur erecta, angulum acutiſſimum cum caule efformantia, interno-

dium

dium ad lineae diſtantiam vaginae inſtar obtegentia, dimidium pedem longa, ſtriata, glabra, plana, per totam fere longitudinem aequalis vbique latitudinis, lineae ſcilicet dimidiam partem vix attingentis. Quae ex ſequentibus geniculis enascebantur folia eandem omnino, quam modo deſcripta, ſtructuram prae ſe ferebant, ſenſim tamen paulo breuiora et anguſtiora in acutum valde apicem terminata. E duobus autem extremis geniculis ramuli ex oppoſito bini exibant, vnciales, teretes, viscoſi et hirſuti, vnico geniculo donati, e quo pediculi tres vtplurimum oriebantur, ſemunciam longi, modo ſimplices, modo in alios minores petiolos diuiſi, viscoſi itidem, quorum ſinguli in apice florem gerebant majusculum, album, ex quinque petalis albis, integris, compoſitum, calyceque contentum ex quinque pariter foliolis breuibus, regidiusculis, acutis, carinatis et in dorſo leuiter hirſutis conſtante. Capſula ſeminalis flauescens et ſplendens, nondum penitus matura, Tritici grano paulo minor erat. Apices ſtaminum carneo colore gaudent, notante Gmelino, cui Alſine junceo folio altera audit. Idem copioſe hanc plantam ad amnes Ononem ſubeuntes et ad ipſum Ononem Auguſto menſe florentem obſeruauit.

86. ALSINE glabra longis gramineis foliis, floribus albis, vmbellatis.

Caules huic ſunt recti graciles, teretes, glabri, virides, geniculati, e ſingulis geniculis ad biuncialia praeter propter interualla poſitis, folia emittentes ex oppoſito bina, glabra, viridia, quatuor, quinque aut ſex

vncias longa, prope baſin, qua genicula arcte amplectuntur, vix lineam lata, in tenuiſſimum mucronem deſinentia. E ſuperiorum foliorum alis ramuli oriuntur ſescunciales, pariter geniculati, ad ſingula genicula in tres vtplurimum minores diuiſi, e quorum ſummitatibus pedicelli egrediuntur tenuiſſimi, tres communiter, in apice florem gerentes paruum, albentem, pentapetalum calyce contentum ex pluribus foliolis breuibus et acutis compoſito, cui ſuccedit vasculum feminale laeue, ſplendens, aureum, ſeminibus foetum minutiſſimis.

Inter Oropolim et Werchojaik, nec non in deſertis circa Samaram oppidum reperit Heinzelm.

87. ALSINE graminifolia ſaxatilis, flore paruo, tetrapetalo, albo Meſſerſchm. Diar.

Radice eſt tenui repente; foliis a radice confertim prodeuntibus, gramineis, anguſtis, fere capillaceis, ſpithamam longis, obscure virentibus; cauliculis geniculatis, ſpithama altioribus, in quibus folia circum genicula ex aduerſo bina, vix pollicem tranſuerſum longa, caryophyllaeis ſimilia; floribus in caulis cacumine ex foliorum alis prodeuntibus, petiolis breuibus ramoſis fultis, exiguis, candidis tetrapetalis, ſaepe etiam pentapetalis; piſtillo abeunte in teſtam ouatam, vix Coriandri ſemini ſupparem, apice dehiscentem, ſemineque foetam exiguo.

Iunio menſe ad Ieniſeam fluuium reperit Meſſerſchmidius, hujus deſcriptionis Auctor.

88. Sa-

88. SALICARIA glabra, longioribus et anguſtioribus foliis.

A Salicaria vulgari purpurea, foliis oblongis Inſt. r. h. p. 253, differt foliis multo longioribus, tres et quatuor ſubinde vncias longis, laeuibus, vtrinque ſplendentibus, vix dimidium pollicem latis, in acutum et anguſtum valde mucronem terminatis; floribus amplioribus et ſpecioſioribus, calycibus contentis omnino glabris, ſtriis plurimis purpurascentibus inſignitis. In arenoſis Iaici fluminis ripis ſponte naſcitur.

Planta ſic definita ſatis accedere videtur ad Lyſimachiam purpuream Pannonicam I. B. Hiſt. pl. Tom. 2. p. 903, in icone autem folia ad baſin nimis anguſta delineata ſunt, ſecus ac in noſtra obſeruauimus, cujus folia ex lata et ſubrotunda baſi ſenſim ſenſimque anguſtiora euadunt. Florum itidem petala anguſta et acuta nimis repraeſentantur. An vero eadem ſit quae Salicaria Orientalis, Salicis folio acutiſſimo et glabro Inſt. r. h. Coroll. p. 18? ob Tourneſortianae deſcriptionis defectum determinare nequeo.

89. SALICARIA glabra, ramoſisſima, longiſſimis et anguſtiſſimis foliis.

Caules huic ſunt lignoſi, obtuſe quadranguli, nodoſi, virides, mox a radice in innumeros fere ramos ſibi inuicem oppoſitos diuiſi et ſubdiuiſi. Folia inferiora dimidium pedem longitudine non raro ſuperant, et vtrinque anguſtata ſunt, in medio dimidiam circiter vnciam lata, atque omnino glabra; ſuperiora vero, ex quorum alis flores egrediuntur, ad Hyſſopi

folia quodammodo accedunt; ſed multo ſunt breuiora et anguſtiora. Flores quam in praecedenti paulo minores, purpurei; calyces etiam minores ſunt, glabri pulchre ſtriati.

Ad Iaicum fluuium Heinzelmanus reperit, in Dauria Gmelinus.

90. GEUM ſaxatile rotundifolium majus flore purpureo Meſſerſchm.

Tataris ad Arbath fluuium degentibus, referente Meſſerſchmidio, Kaltſchep vel Bada-Thuſu dicitur. Ab iisdem decoctum ex radicibus hujus plantae paratur, quo contra alui fluxus vtuntur. Teſta vel capſula ſeminalis modo bicornis, modo tricornis eſt.

91. HARMALA montana, Daurica, perennis, multicaulis, Polygalae folio, albo flore Meſſerſchm.

Radicem habet perennem, oblique defixam, craſſiusculam, foris inaequalem, fuſcam, intus lignoſam, albidam; cauliculos ab vna radice numeroſos, erectos, vix pedem altos, tenues, lignoſos, teretes, non geniculatos, in ramos, raro nec niſi breues et cauli fere appreſſos, diuaricatos; foliola Polygalae propemodum vel Polygoni etiam, alterna mollia, vtrinque viridia, glabra; flores in caulis et ramulorum fere ſingulorum vertice ſingulares, roſaceos, anguſto et oblongo petalo, albos ſtaminibu slongiusculis, capillaceis, apiculo exiguo donatis, piſtillum denſe ambientibus, praeditos. Piſtillum autem abit in teſtam Harmalae Syriacae et mulam, vix Tithymali capitulo ſupparem, tricapſularem, non-

nonnumquam ſed raro quadricapſularem, trifariam apice dehiscentem, ſemine in ſingulis loculamentis bino plerumque, ſubinde terno, exiguo, reniformi, nigricante foetam. Odor plantae debilis, ſapor herbaceus eſt. In glareoſis Dauricis reperit Meſſerſchm.

92. HARMALA montana, Polygalae foliis, floribus luteis.

Hanc Gmelinus ſub titulo Scorodopraſi Lini foliis, ad Borſae amnis oſtium in montoſis ſub initium Auguſti menſis lectam, ſequentibus deſcribit verbis: caules multi, graciles ex vna radice ſurgunt, duos palmos alti, virides, rotundi, foliis numeroſis ſine ordine ſtipati, qui in ſummitate in aliquot breues ramulos abeunt, quorum quilibet florem ſuſtentat luteum, externe viridescentem, ſex petalis conflatum, obtuſa extremitate terminatis, cui ſuccedunt vascula trigona, in tria loculamenta diuiſa.

Luteo florum colore a praecedenti tantum diſſere videtur.

93. SEDUM minus, repens, Chamaedryos foliis, e ſingulis foliorum alis radices agens.

Ex ſeminibus ad Vralenſium montium pedes ab Heinzelmano lectis enata nobis eſt elegans haec planta, longo latoque cauliculorum innumerorum fere in orbem reptatu prae aliis hujus generis ſpeciebus inſignis. Nondum tamen floruit. Cujus igitur deſcriptionem in alium locum reſeruamus.

94. SE-

94. SEDUM Cotyledonis facie, floribus carneis Gmel.

Radice figitur tenuiſſima, paucas fibras emittente, albente. Folia ad radicem numeroſa habet, oblonga, nec crenata, nec ſerrata, in apicem ſiue mollem ſpinulam deſinentia. Caulis palmaris ab imo ad ſummum vti in Cotyledone, floribus pentapetalis, dilute carnei coloris, calyce quinquefolio ſuſtentatis, ornatus. Succedunt quinque aut ſex vaginulae, vti in Sedo vulgari. In montoſis Agae amnis ſub initium Auguſti menſis floret. Gmel.

Inter ſiccas ab Heinzelmano Oropoli et ex Vralenſibus montibus allatas, plantam reperi huic prorſus ſimilem, niſi quod flores ei lutei eſſent. Hos quoniam in ſpeciminibus ſiccis exacte obſeruare non poteram vtrum roſacei eſſent, an monopetali, ob habitum externum, creſcendi modum, et flores in longam ſpicam congeſtos, Cotyledonis ſpeciebus potius annumerandam eſſe hanc plantam exiſtimaui, Cotyledonemque minorem, ſpicatam, luteam, fibroſa radice nuncupaui in catalogo plantarum ab Heinzelmano in Tataria lectarum. In poſterioribus autem obſeruationibus Gmelinus ſcribit florem habere roſaceum et genuinam eſſe Sedi ſpeciem, quam ipſe antea ex Sibiria ſub diuerſo plane nomine miſerat; ſi modo flores recte obſeruauit Gmelinus: dantur enim Cotyledonis ſpecies, quae flores fere ad baſin vsque diſſectos habent, ita vt obiter eos tantum intuenti facile roſacei appareant, cum reuera ſint monopetali. Ex ſatis ſeminibus ab Heinzelmano mecum communicatis vnica in Horto Academico enata eſt plantula, quae flores hucusque non-

nondum protulit. Si aliquando proferet pleniorem deſcriptionem icone illuſtratam alio loco dabimus. Poterit interim, donec de eorum ſtructura certiores ſimus, appellari cum Gmelino

95. SEDUM Cotyledonis facie, floribus luteis.

Habitu externo et radice fibroſa cum Cotyledone Cretica, folio oblongo fimbriato Hort. Elth. p. 113, f. 112 admodum conuenit; differt autem foliis anguſtioribus, minime ſerratis aut fimbriatis, in tenuiſſimam ſpinulam abeuntibus; caulibus altioribus, floribus luteis in denſiorem ſpicam compactis.

96. ANACAMPSEROS flore flauo Gmel. Tab. XI.

E radice craſſa, in multa capita, quae longe in terra ſerpunt, diuiſa, foris luteſcente, intus alba, adſtringentis ſaporis, caulis ſurgit vnum et ſesquidodrantem longus, dilute viridis, laeuis, aut ſaltem leuiſſime ſulcatus, folia ſine vllo ordine crebra, pollicem plus minus longa, leuiter ſerrata, ſucculenta, laete viridia, ſaporis acidi maxime adſtringentis, emittens, in ſummitate vmbellam gerens florum flauorum, ſex plerumque petalis conſtantium, ſtaminaque flaua apicibus rubentibus inſtructa includentium, et calyce breui concolore fere, fultorum. Piſtillum autem in fructum abit, ſex ſiliculis aut vaginulis compoſitum. Folia verſus ſummitatem caulis ita crebra ſunt, vt florum vmbellam quaſi radiatim cingant. In ſyluis Nertſchiae ſub medium Iunii menſis florebat Gmel.

Anacampſeros radice Roſam ſpirante, flore luteo Meſſerſchm. Diar. circa Tſchitinskoy vrbem obſeruata, forte eadem eſt planta.

97. VLMARIA foliis profunde laciniatis.

Sub titulo Vlmariae foliis vtrinque viridibus ſiccam miſit Gmelinus, in campis Argunienſium officinarum lectam. In obſeruationibus ſuis idem ſcribit, a vulgari non niſi foliis vtrinque viridibus differre. Verum foliorum diuiſura quoque quam maximam disſimilitudinem habet cum vulgari Vlmaria; folia enim, quae coſtae per conjugationes adnaſcuntur, plerumque in quinque lacinias longas, anguſtas et ſerratas fere ad pediculum vsque diſſecta ſunt; ſupremum vero impar, in quod coſta terminatur, in ſeptem hujusmodi lacinias diuiſum eſt.

98. THALICTRUM Aquilegiae folio, caule fiſtuloſo, viridi, maximum, capſula ſeminis triquetra, laeui, turgida, pendula Meſſerſchm.

De hoc nihil aliud, niſi quod paſſim in Dauria proueniat commemorauit Auctor.

99. THALICTRUM minimum ſaxatile, odore graui, ſemine ſtriato Meſſerſchm.

Ad Vybath fluuium occurrit.

100. HELLEBORUS Fumariae foliis. Tab. XII.

Venuſtam et ſingularem hanc Hellebori ſpeciem ſub titulo Populaginis minoris, Fumariae folio Gmelinus

nus ſequentibus deſcribit verbis: e radicula albenti, tenera, paucis fibrillis ſtipata, caulis ſurgit, tres vel quatuor pollices vtplurimum, interdum etiam duos palmos altus, firmus et tenax, reclinis, viridis et leuiſſimus, in aliquot genicula intumescens, circa quae caerulescenti colore inſignitur. E ſingulis geniculis pediculi foliorum, et vnus alterue floriferus prodeunt. Pediculi folioſi, teneri, ad duos tresue pollices longi ſunt, interdum etiam vnum et dimidium tantum pollicem, ſinguli folia Fumariae glauca, ſubacria, in extremo ſuſtinentes. Pediculi floriferi teneriores ſunt, foliis nudi, ſinguli in extremo florem gerentes paruum, euanidum, decenter incuruum, cauum ſiue globoſum, interne luteum, externe e luteo viridem, petalis quatuor aut quinque conflatum latiusculis, in extremo acutis, ſtaminibus quatuor vel quinque luteolis, quae apicibus flauis onuſta ſunt, foetum. Piſtillum in fructum abit e plurimis ſiliquis vnicapſularibus, primo erectis et ſibi contiguis, poſtea ſecedentibus et horizontaliter fere poſitis, apice dehiscentibus, ſemina tria, quatuor aut quinque minora, rotunda continentibus, compoſitum. Amat humida loca ad Selengam et Nertſcham fluuios, quibus in locis tam primo vere, quam aeſtate florentem et fructus ferentem obſeruaui.

Sata hujus plantae ſemina in horto Academico in plantas excreuerunt multo majores et ramoſiores quam in ſpecimine ſicco, quod loco natali lectum erat, conſpiciuntur, foliis ad Fumariam luteam accedentibus, plurimis ad radicem confertis; vaginulis membranaceis, valde tenuibus, non apice, vt Gmelinus

ſcribit, ſed ſecundum longitudinem dehiscentibus, decem ad viginti vsque poſt ſingulos flores.

Haec ſine dubio eadem eſt herbula, quam Mesſerſchmidius in Diario ſuo breuiter ſic adumbrat: prope pagum Ottomanowa dictum ad Ieniſeam fluuium, menſe Majo herbulam reperi mihi incognitam, radice fibroſa; foliis Rutae ſimilibus; flore pentapetalo luteo ſiue roſaceo; calyce nullo; piſtillo abeunte in fructum ex vaginulis fere duodecim in capitulum collectis, ſurſum rigentibus, ſemine in ſingulis plurimo exiguo.

101. HELLEBORUS Aconiti folio, flore globoſo, croceo.

Cum Veratro flore ſubuiridi Inſt. r. h. Gmelinus ad Selengam, Ingodam et Schilkam Dauriae fluuios reperit. Differt ab Helleboro nigro, Ranunculi folio, flore globoſo Inſt. r. h. foliis amplioribus, dilutius virentibus, in latiores et pauciores lacinias diſſectis, ad Aconiti Lycoctoni folia valde accedentibus; florum petalis, ſtaminibus, atque nectariis eleganti croceo colore praeditis.

102. THALICTRIOIDES foetidiſſimum, Chriſtophorianae facie Gmel.

Sub hoc titulo Gmelinus ſemina Irkuto anno praeterito miſit iis, quae Meſſerſchmidius jam ante decennium ad Ieniſeam fluuium et in Dauria collegerat, omnino analoga. Horum autem titulus hic erat, in Xenio ſcilicet Iſid. Sibiricae: Vanutſcha Sibirica, cimicifuga, foetida, Chriſtophorianae foliis, floribus in thyrſo

thyrſo ſtamineis, luteolis, ſemine in corniculis villoſo, rufo. In ejusdem vero Diario planta haec appellatur: Vanutſcha Trawa Ruſſorum, foetidiſſima, radice pereni, Chriſtophorianae foliis, procerior, flore in racemis luteo, ſtaminoſo, capitulo ſeminali quadrivaginato, ſemine villis foliaceis hispido, plurimo.

Ante biennium Gmelinus Chriſtophorianae vulgaris, noſtratis racemoſae et ramoſae Mor. Hiſt. Oxon. P. 2. p. 8, nomine plantam fructu deſtitutam, in Argunienſium officinarum campis verſus occidentem ſitis, lectam, ad Academiam Scient. Imper. miſit, quam ejusdem Thalictrioides eſſe exiſtimo. Erat autem foliis, quam in Dodonaei Chriſtophoriana et Americana illa proceriori et longius ſpicata Horti Elth. p. 79. Tab. 67. multo profundius laciniatis, rarius ſed latius dentatis, anguſtioribus, craſſioribus, rigidioribus et rugoſioribus; caulibus elatioribus, firmioribus, minus anguloſis, rectis, ad quorum medium verſus, ex foliorum alis alternatim, ad quatuor plus minus interualla, pediculi oriebantur tenues, leuiter hirſuti, biunciales, flores medium verſus gerentes, Chriſtophorianae Dod. floribus multo majores, breuioribus pedunculis innascentes, numero plures, pluribus ſtaminibus refertos. Summus autem caulis terminabatur in ſex iſtiusmodi ſpicas floriferas, ad exortum ligula tenuiſſima ornatas, reliquis ſpicis, quae ex foliorum inferiorum alis originem ducunt, paulo breuiores, ſed copioſioribus floribus onuſtos.

103. PAEONIA lacteo flore, foliis vtrinque viridantibus et ſplendentibus Gmel.

Caulem haec promit interdum vnicum, interdum duos, ad exortum rubentes, poſtea virides, rotundos, ſtriatos, ſesquicubitum aut duos cubitos altos, qui poſtquam ad tertiam altitudinis partem peruenerunt, folia per breuia et inaequalia interualla emittunt, pediculis tres vncias longis, nixa, in terna primaria ſegmenta diuiſa, quorum quodlibet pediculo nititur, eo, qui medium ſuſtinet, duos pollices, qui lateualia, vnum pollicem longo. Quodlibet rurſus ſegmentum in tres partes finditur, acuto fine terminatas, hinc inde interdum laciniatas; harum media, tres quatuor aut quinque pollices longa, laterales paulo breuiores ſunt. Folia vtrinque ſplendent, ſuperne amoene viridi, inferne paulo dilutiori colore tincta. Ex alis ſuperiorum foliorum duo tresue flores ſurgunt, caulem terminantes, pediculis duos cum dimidio aut tres pollices longis fulti, ampli, diametro duos pollices cum dimidio aequantes, lactei, octo aut decem petalis conſtantes, foliis plerumque quinque viridantibus, ad oras purpureis, interne concauis, externe conuexis, inaequalibus et varie ludentibus tanquam calyce fulti. Interiora floris a numeroſa ſerie ſtaminum flauorum, apicibus $\frac{3}{16}$ poll. longis, inſtructorum, anguſtorum et per mediam longitudinem ſulcatorum occupantur, in quorum medio piſtillum eminet, tribus quatuorue, raro quinis vaginis, iis quae in Paeonia mari ſunt, ſimilibus, in recenti flore viridibus, in marcido a polline ſtaminum flaueſcentibus, corniculis coccineis inſtructis conſtans. Singulis floribus duo vel tria folia ſubſunt, ſubſtantia et colore reliquis ſimilia, multo tamen anguſtiora, et nulla

ratione

ratione diuiſa, atque aequalis magnitudinis. Radix tribus vel quatuor truncis, digitum minorem craſſis, vno vel altero inſuper ſtolone auctis, pali inſtar pedem et amplius in terram figitur, et foris fuſco, intus albo colore gaudet. In montoſis Schilkae et Arguni fluuiorum copioſe medio Iunii menſis florentem, ſub finem vero Iulii fructum ferentem obſeruaui. Tunguſi ſemen maturum in puluerem redactum Theae incoquere ſolent. Gmel.

Meſſerſchmidio eadem audit: Paeonia vulgaris, albo flore, ſimplici, Tſchina Mongolis in Dauria, Burathis et Kyſtim Tataris. A Paeonia ſimplici niueo flore Clus. Hiſt. p. 291. praecipue differre videtur foliis vtrinque viridibus et ſplendentibus.

104. PULSATILLA Anemones folio diſſecto, lanuginoſa, flore majore dilute luteo, patente Meſſerſchm.

Occurrit circa Tobolsky, caput Sibiriae.

105. RANUNCULUS paluſtris, folio Plantaginis, luteus Gmel.

Promite radice fibroſa mox duo vel tria folia, pediculis triuncialibus et palmaribus innixa, duos pollices cum dimidio longa, et vnum aut ſesquipollicem lata, neruis et conſiſtentia foliis Plantaginis anguſtifoliae respondentia. Caulis ex eadem radice ſurgit duos circiter palmos altus, ad medium vsque foliis orbus, exinde vero vnum et alterum ramulum emittens, quorum exortum vnum ſemper folium comitatur, inferioribus ad

ad radicem ſimile, multo tamen anguſtius et breuius. In ſummis ramulis flores ſunt ſatis magni, petalis decem anguſtis, non admodum contiguis, conſtantes, quibus capitula Ranunculi ſuccedunt. Optimae ſpei Studioſus Steph. Kraſcheninnikow ſub initium Iulii menſis ad Urulengui amnem in paludoſis florentem et ſemina ferentem reperit.

106. RANUNCULUS repens, gramineis foliis, e ſingulis geniculis radices agens. Tab. XIII. F. 1.

Buxbaumius hunc in Cent. V. App. p. 48. n. 41, Ranunculum flammeum, minimum, Spergulae folio appellat, et foliis tantum ſatis a congeneribus diſtingui poſſe ſcribit. Meliorem iconem, plenioremque deſcriptionem Gmelinus ex Dauria miſit. Haec autem ſic ſe habet: radix alba, fibroſa, minus profunde radicata, aliquot folia, vnam, vnam cum dimidia aut duas vncias longa, anguſtiſſima, craſſiuscula, nullis pediculis nixa, et caulem emittit tenuem, infirmum, qui breui poſt exortum geniculum acquirit folium primo vnum et alterum iis, quae ad radicem ſunt, ſimile fundens, poſtea radicibus terrae ſe infigens, caule denuo ad duos tresue pollices reptante, foliaque iterum promente et radices agente, et hoc tertia quartaue vice repetit, tenuiſſimum denique emittens cauliculum nudum, pollicem altum, et flore minori, flauo Ranunculi terminatum. In locis paludoſis Majo et Iunio menſibus vbique ad Selengam, Vdam, Ingodam et Schilkam fluuios occurrit Gmel.

Eadem

Eadem haec planta copioſisſime in Neuae ripa, alibique circa Petropolim ex ipſa ſubinde arena excreſcens, per totam fere aeſtatem flores et fructus profert. Nullus porro dubito, quin haec Ranunculi ſpecies plane conueniat cum Ranunculo foliis linearibus, caule repente Flor. Lappon. p. 190. n. 236. Tab. III. F. 5. in qua tamen figura radiculae e geniculis foliorum exeuntes omiſſae ſunt. Flos itidem juſto paullo major repraeſentatur.

107. RANUNCULUS repens, flore in caule ſingulari, foliis varie ſectis. Tab. XIII. F. 2.

E radice fibroſa, alba, ad duos pollices in terram demiſſa, aliquot pediculi infirmi, inferius albentes, ſuperius virides, profunde ſub terra emergunt, duos circiter pollices longi, quorum ſinguli in extremis folia ſuſtinent, Chelidonii minoris folia ſubſtantia, colore et ſplendore referentia; quaedam circumſcriptione rotunda, quaedam magis acuta, variae magnitudinis, et varie pleraque tamen in tres praecipuas partes leuiter inciſa, ſaporis ſaponacei. In horum medio caulis ſurgit prope terrae ſuperficiem plurimos rurſus pediculos emittens, ejusdem generis foliis ornatos, vti inferiores, inter quos caules aliquot eriguntur nudi, vnum, duos aut tres pollices longi, infirmi, caui, rotundi, virides, ſingulis florem in ſummitate ſuſtentantibus polypetalum, flauum, pulchellum, Chelidonii minoris florem imitantem; calyce quinquefolio luteſcente nixum. Medium floris piſtillum occupat pro magnitudine plantae amplum, in capitulum Ranunculi capi-

 tulo

tulo ſimile abiens, ſtaminibus flauis cinctum. Flagellis ſed raro reptat. Iisdem quibus prior locis prouenit. Gmel.

Nullus dubito, quin hic ſit Ranunculus paluſtris non acris, caule nudo, foliis a radice longiſſimo petiolo inſidentibus, oblongis, leuiter trifidis Meſſerſchm. qui plantam hanc ad Bordſche amnem in Dauria reperit. Porro qua in re idem differat a Ranunculo caule vnifolio et vnifloro, foliis tripartitis Linnaei Flor. Lappon. p. 186. n. 231. Tab. III. F. 4. deſcriptiones et icones comparanti patebit.

108. CLEMATITIS erecta, foliis anguſtis, Cornu Cerui diuiſura.

Hanc Meſſerſchmidius vocat Clematitidem campeſtrem, erectam, foliis anguſtis, Cornu Cerui diuiſura, ſurſum rigentibus, duriusculis, fatuis, flore albo, ſemine dum recens eſt, vrente, Dauricam; Gmelinus vero Clematitidem erectam, albam, absque ſarmentis. Hujus deſcriptio haec eſt: radix innumeris fibris, culmum craſſitie aequantibus, ad pedem circiter terrae infixa, duos aut tres emittit caules, rotundos, ſtriatos, virides, inferius laeues, ſuperius lanuginoſos, decem plus minus geniculis, quae duos tres aut quatuor pollices abinuicem diſtant, diſtinctos, bicubitales. Geniculum vnum aut alterum inferiorum membranis tantum ſpadiceis in foliola fuſca, exſucca, breuia deſinentibus cingitur. Superioribus vero multa lanugo adhaeret, egrediunturque inde folia aduerſo ſitu bina, rigida, lucida, atrouirentia, in tria ſegmenta primaria diuiſa, lateralibus rurſus in duo, medioque in tria ad coſtam vsque ſubdiuiſis.

Seg-

Segmenta tam majora, quam minora anguſta ſunt, octa-uam pollicis partem non multum ſuperantia, longitudine vero ea, quae medium et extremum locum tenent, vtpote quae longiſſima ſunt, duos pollices et dimidium raro excedunt; ſunt inſuper vtrinque acuta, per totam longitudinem neruoſa, et vtrinque viridia, pilis vix conſpicuis leuiſſime hirta. Singula folia pediculis tres aut quatuor pollices longis nituntur, qui e ſingulis primariis ſegmentis pediculum pollicem circiter longum ſuppeditant. E ſingulis tribus ſupremis alis ramuli duo ex aduerſo ſiti, vltra pollicem longi, caulis inſtar hirti, rubentes prodeunt, emittentes tunc bina foliola, vix dimidiam vnciam longa et decimam ſextam vnciae partem lata, e quorum alis duo rurſus prodeunt coliculi, lanuginoſi, albentes, inflexi, quorum ſinguli in extremitate capitulum gerunt album, lanuginoſum, conicum fere, quod aperitur in florem ſpecioſum, ex quinque aut ſex petalis albis, lanuginoſis conflatum, plurimaque intus ſtamina lutescentia, canaliculata, apicibus concoloribus inſtructa, condentem. Piſtillum autem congeries eſt candidae et ſericeae lanae, quae in plurima ſemina cincinnata abit. Gmel.

In omnibus campis ſpatioſis Schilkae, Arguni et Ononis fluuiorum occurrit, ſub finem Iunii menſis florens, et ſub initium Auguſti ſemina maturans. Meſſerſchmidius ad Macarowa amnem prope Nerzinskoy vrbem obſeruauit.

109. FRAGARIA ſterilis, procumbens, foliis Betonicae inſtar ſerratis Gmel. Tab. XIV.

L 2 Radix

Radix craſſa, foris fusca, intus alba, paucis fibris ſtipata, terraeque firmiter inhaerens, mox quatuor aut quinque folia emittit per terram ſparſa, in tria ſegmenta ad oras Betonicae inſtar ſerrata, ad caulem vsque fiſſa, conſiſtentia Tormentillam imitantia, ſuperne intenſe viridia, inferne argentea, lanuginoſa. Inter haec coliculi aliquot ſurgunt, inferne purpurei, ſuperius viridescentes, dodrantem altitudine non excedentes, leuiter hirſuti, qui ſuperius in aliquot ramulos diuiduntur et ſubdiuiduntur, quorum ſinguli florem gerunt ex quinque petalis conſtantem, circumſcriptione ſubrotundis, flauis, calyce in decem ſegmenta quinque majora et quinque minora fiſſo, innitentem. Singulis ramulis ſubeſt foliolum, figura iis, quae e radice egrediuntur, ſimile, verſus ſummitatem caulium et ramulorum minutiſſimum. Flagellis, quantum obſeruare potui, non reptat.

In campis ſpatioſis ex orientali parte jugi montium Iablonnoi Chrebet dicti, ſitis, ad viam, quae Tſchitinium ducit, ſub initium Iunii menſis florebat. Gmelin.

110. FRAGARIA ſterilis, molli lanugine pubescens Gmel.

Primo vere prodit et ſiccis camporum Selengiam vrbem et mercatorium oppidum Kjactenſe interjacentium locis crescit, folia et pediculos floriferos promens ab initio per terram repentes. Excaulescit postea et caules acquirit ſatis craſſos, palmares aut dodrantales, multis foliis ſtipatos. Folia mollis conſiſten-

tiae

ſtae pediculis nituntur ſesquipollicem longis, atque in tria ſegmenta, circumſcriptione rotunda, profunde ſerrata, fiſſa ſunt. Flores pro plantae magnitudine ampli, flaui, quibus ſemina fragi in modum in capitulum congeſta ſuccedunt. Tota planta molli lanugine pubeſcit. Gmelin.

An haec a Fragaria ſterili, ſylueſtri, ſericea ſeu incana Mor. Hiſt. Ox. P. 2. pag. 187. differat, nondum mihi ſatis conſtat.

111. FRAGARIA ſterilis, folio ſubtus argenteo Gmel.

Folia e radice plurima profert, pediculis vnciалibus et biuncialibus nixa, terna ſemper in vno pediculo, longiora quam lata, profunde et acutis dentibus ſerrata; inter folia caules aliquot procumbentes, dodrantales, intenſe rubentes, folio vno et altero, dictis ſimili, ſtipati, et verſus ſummitatem flores egregios, aureos, poſtea ſemina in fragi rudimentum collecta, ferentes. Tota planta cana eſt et lanuginoſa; folia tamen ſuperne, licet et ibidem non paucis pilis hirta ſint, egregie virent, inferne vero argentea ſunt.

Ad Vdam et amnes Ierawnienſe munimentum tractumque montium Iablonnoi Chrebet dictum, interiacentes, ſub initium Iunii menſis floret. Inueni etiam Selengae ſub finem Maii menſis. Gmel.

112. PENTAPHYLLOIDES foliis tenuiſſime laciniatis, floſculis carneis. Tab. XV.

Radicem habet tenuem, vt ſcribit Gmelinus, leuiter intortam, ad ſesquipollicem terrae infixam, pau-

cis et breuibus fibrillis ſtipatam, foris fuſcam, intus candidam, tres quatuorue cauliculos palmares et ſeſquipalmares, firmos, ſed tenues, emittentem, pulchre praecipue inferiore ſui parte rubentes, leuiter hirſutos, mox folia numeroſa promentes, alterno vel nullo ordine poſita, breuibus pediculis nixa, in tres lacinias anguſtas, ad caulem duabus veluti alis, interdum ſimplicibus, interdum bifidis aut trifidis ornata. Inferiorum porro foliorum ſingulae laciniae plerumque adhuc trifariam diuiſae ſunt. In ſummo caulium alternatim prodeunt quinque et ſex ramuli rubentes, teneri, ad quorum alas folia in quinque anguſtas lacinias diuiſa locantur. Ipſi illi ramuli verſus ſummitatem in plures ramulos ſubdiuiduntur, quorum ſingulis flos inſidet albus, ſiue leuiſſime carneus, minutus, ſtaminibus flauis ornatus, et calyce leuiter rubente, hirſuto, qualem ferе habet Quinquefolium V. fragiferum Cluſ. marcido flore, conoideo ſuſtentatus ſemina inſtar Quinquefolii in capitulum Frago analogum congeſta.

Florentem et ſemina ferentem vidi in montoſis Arguni ſuperioris circa medium Kailari fluuii oſtium et in ripis Ononis fluuii inter Silices ſub initium Auguſti menſis. Gmel.

Eſt forte eadem planta Pentaphylloides folio exiguo, tenuiſſime laciniato, flore minutulo, incarnato, petalis cordiformiter ſinuatis Meſſerſchm. qui hanc in montoſis Arbath Iabaſch et Abacan reperit.

113. PENTAPHYLLOIDES humile, foliis anguſtisſimis Gmel. Tab. XVI.

E ra-

E radice craſſiuscula, longis fibris ſtipata, foris fusca, intus alba, plurimi cauliculi ſurgunt, quorum alii floriferi ſunt, alii folia tantum gerentes, quatuor vel quinque pollices longi et breuibus pilis albentibus obſiti. Cauliculi folioſi per breuia interualla folia nonnunquam tria, nonnunquam quatuor emittunt, quandoque integra, ſubinde in duas tresue partes fiſſa, anguſtiſſima, pollicem longa, ſuperne intenſe viridia, inferne lanugine albicanti veſtita, molliuscula. Cauliculi floriferi circa mediam altitudinem quatuor plerumque folia gerunt, quorum vnum pollicem longitudine aequat, reliqua vix tertiam ejus longitudinis partem aſſequuntur, configurationis et ſubſtantiae ejusdem cum iis, quae in coliculis folioſis deprehenduntur. Hinc interuallo vnius pollicis ramulus exit, inferne ejusdem generis foliis ſtipatus; aliquot denique ramuli, foliis ad exortum pariter ornati, caulem terminant, ſinguli florem vnicum, flauum gerentes, pentapetalum, calyce decaphyllo ſuſtentatum, quem ſequuntur ſemina in capitulum collecta. Cum Fragaria ſterili, procumbente, foliis Betonicae inſtar ſerratis, de qua ſupra egimus, occurrebat.

Tournefortii auctoritatem ſecutus hanc plantam ad genus Pentaphylloidis retuli. Sed nimis externa facie a reliquis Pentaphylloidis ſpeciebus diſtare videtur, meliusque meo judicio ſub hujus generis ſpeciebus eae tantum continerentur, quae folia pinnata habent, reliquae cum Fragariis ſterilibus ad Quinquefolium reducerentur. Haec omnia Gmelinus.

114. PEN-

114. PENTAPHYLLOIDES fruticoſa, elatior, minus hirſuta Tab. XVII.

Radix craſſa, fractu contumax, lignoſa, alba, multis ſtolonibus transuerſim ſitis ad duos vsque pedes ſub terra repentibus, innumerisque fere fibris ſtipata, plurimis pelliculis e fusco rubentibus, laceris et facile ſeparabilibus obducta, interiori cortice lutescenti, plures, viginti et vnam numeraui, emittit virgas, calami ſcriptorii craſſitie, coloris fusci, ſeu ex fusco cinerei, pari modo ac radix lamellis facile ſeparabilibus tanquam cortice tectas, cubitales et bicubitales, circa medium altitudinis ramulos fundentes tenues, per breuia interualla ad faſtigium vsque, ad quos alternatim ex breuibus diſtantiis pediculi oriuntur, quidam viridescentes, alii rubentes, vnciales et ſemiunciales, folium in extremitate gerentes, circumſcriptione rotundum et in quinque ſegmenta latiuscula ad vnguem vsque fiſſum, ſegmentis ex eodem fere centro prodeuntibus, ſuperne viride, pilis albentibus leuiſſime hirtum, inferne venoſum, dilutioris coloris et minus hirtum, ſaporis leuiter adſtringentis. Summos ramulos ſingulos unicus flos terminat flauus. petalis quinis conflatus, ſtaminibus et piſtillo Quinquefolii ſimilibus munitus, calyce etiam ſimili, cujus folia interna latiora et luteſcentia ſunt, exteriora anguſtiora et viridia, ſusſtentatus, Singulis floribus ſubeſt folium, reliquis analogum, ſed plerumque in terna tantum ſegmenta fiſſum.

Ad Ingodam et Schilkam fluuios ſub initium Iunii menſis copioſe florentem inueni. Figura ſummitatem virgae exprimit, Gmel.

In

In ſpecimine ſicco, quod hujus deſcriptionis Auctor ex Dauria miſit, flores non ſolum ex ſummis ramulis, verum etiam ex caulium lateribus oriebantur. Neque folia ex eodem fere centro, vt idem ſcribit, prodibant, aut ſummo pediculo Quinquefolii in modum inſidebant, ſed reuera pinnata erant, conſtabantque ex duabus pinnarum conjugationibus. Primae conjugationis pinnulae ſine pediculis coſtae mediae adhaerebant, pinnulae autem ſecundae conjugationis prope baſin conjunctae erant; extremitati vero coſtae inſidebat vnica impar.

A Pentaphylloide recto, fruticoſo, Eboracenſi Hiſt. Oxon. P. 2. pag. 193, et Pentaphylloide fruticoſo Raii Hiſt. pl. pag. 616, differt foliis crebrioribus, ad breuiſſima interualla quaſi confertim nascentibus; pinnis breuioribus, anguſtioribus, tenuioribus, quinis, minus hirſutis et rugoſis; calycis ſegmentis exterioribus viridibus, glabris, latioribus, ſubrotundis.

Seminum ne rudimenta quidem in ſpecimine Gmeliniano reperire potui, quanquam optimae notae microscopio diligenter et ſaepe in ea inquiſiuerim. Loco ſeminum nil praeter lanuginem quandam albentem, viſui ſeſe obtulit. Eandem hanc lanuginem Rajus quoque obſeruauit in Pentaphylloide ſuo fruticoſo.

115. PENTAPHYLLOIDES fruticoſa, humilior, lanuginoſa et incana. Tab. XVIII. F. 1.

Et hanc quoque Gmelinus ſequentibus deſcribit verbis: radix lignoſa, longius in terra radicata, repens, membranis fuscis, laceris et facile ſecedentibus obducta,

intus alba, multas, ad duodecim interdum virgulas, ſubſtantiae inter lignum et herbam ambigentis, dodrantales aut pedales, hirſutas, inferius membranis fuſcis, facile ſeparabilibus tectas, tenuis calami ſcriptorii craſſitie emittit. Ex his enaſcuntur folia numeroſa, alternatim ſita, pediculis ſemuncialibus, tenuibus, hirſutis innitentia, in ſeptem lobulos anguſtos et acutos, aut potius in quinque lobos, quorum ſuperior tripartitus eſt, diuiſa, circumſcriptione rotunda, vtrinque lanugine quadam pubescentia, inferne incana, ſuperne laete viridia. Summas virgas vnus et alter flos terminat ſpecioſus, flauus, quem ſtamina numeroſa, apice rotundo inſtructa, exornant. Calyx vero et fructus Pentaphyllo respondet. Sapor foliorum ſubadſtringens. Semina minima, fusca. Figura integram fere plantam, radice excepta, ſiſtit.

Sub initium Auguſti menſis in montoſis Ononis fluuii cum floribus et ſeminibus occurrebat.

A praecedenti differt ſtatura humiliori; lanugine caulium et foliorum longiori, ſpiſſiori et incana; foliis acutioribus, craſſioribus et rugoſioribus, ex ſeptem ſubinde pinnulis, vt in Eboracenſi conſtantibus. Dico ſubinde, nam in ſpecimine ſicco Gmeliniano vtplurimum ex quinque tantum, vt praecedentis, pinnulis compoſita erant; calycis ſegmentis exterioribus anguſtis, acutis, incanis et hirſutis. Floris medium etiam occupabat lanugo iſta, cujus mentionem ſupra fecimus. Semina, de quibus Gmelinus ſcribit, non vidimus.

116. PEN-

116. PENTAPHYLLOIDES ſupinum minus, folio glabro, non ſerrato Gmel.

Surgunt e radice tenui, profunde in terram fixa, foris rubente et fuſca, intus alba, minimis fibrillulis capillata et viticulis interdum ſerpente, plures caules procumbentes, virides et laeues, in laetiori ſolo dodrantales, per breuia interualla pediculos emittentes, vnum, duos et duos cum dimidio pollices longos, quibus quatuor, quinque aut ſex conjugationes foliorum anguſtorum et neruoſorum, ſuperne intenſe viridium, inferne pallidiorum, interdum glauci vtrinque coloris, verſus extremitatem non raro in duas partes fiſſorum, adhaerent, impari plerumque bifido aut trifido coſtam terminante. Ad exortum ſingulorum hujus generis pediculorum duo foliola minima, conſiſtentia et habitu reliquis ſimilia tanquam alae adnaſcuntur. Ex alis vero pediculorum alii interdum ſurgunt coliculi, iique nonnunquam folioſi tantum, nonnunquam nudi, in plures ramulos ſubdiuiſi, ad quorum exortum folia pariter pinnata ſunt, ſed minora, ex paucioribus conjugationibus conſtantia. Caulis denique verſus ſummitatem in plures pariter ramulos diuiditur, et ſinguli ramuli florem ſuſtinent pentapetalum, flauum, calyce pentaphyllo duplici innixum et plurimis ſtaminulis donatum. Piſtillum vero in fructum obscure rubentem abit, Pentaphylli fructui analogum, calyce obuolutum. Tota planta leguminoſi ſaporis eſt. Per totam aeſtatem in regionibus trans Baikal lacum ſitis floret, et vbique in campis obuia eſt. Gmel.

Eandem hanc plantam apud Baskiros Tataros obſeruauit et legit Heinzelmanus. Differt a Pentaphylloide repenti, foliis pinnatis Buxb. Cent. 1. p. 30. Tab. XLIX, Fig. 1, foliis ſeu potius pinnis foliorum longioribus, et latioribus, minusque acutis. An vero eadem ſit herba Pentaphylloides Orientale, ſupinum foliis alatis bifidis vel trifidis Inſt. r. h. Coroll. p. 21. propter deſcriptionis Tournefortianae defectum determinari nequit.

117. PENTAPHYLLOIDES ſupina, minor, foliis alatis hirſutis, varie diſſectis.

Hujus quoque foliola modo integra, modo bifida aut trifida erant, vtrinque piloſa. A praecedenti paruitate tantum et foliorum hirſutie differebat. Igitur forte ejusdem tantum varietas eſt. Ex Sibiria Gmelinus miſit.

118. MENISPERMON Tamni foliis.

Hanc plantam Meſſerſchmidius in Diario ſuo ſub Tamnoidis titulo ſequentibus deſcribit verbis. Tamnoides radice longiſſime ſerpente, lignoſa, fibrillis copioſis vndique obſita, ſubamara, foris fusca, intus flaueſcente, praeſertim ſicca; cauliculis prolixis, ſcandentibus, clauiculos nullos promentibus, lignoſis, cortice in ſubuiridi fusco, medulla tenui, alba farctis; foliis alternatim ſingularibus, magnis, inferioribus propemodum Bryoniae ſimilibus, angulatis, non tamen ſinuoſis, ſuperioribus ad Tamnum accedentibus, longius acuminatis, ſaturate viridibus, laeuibus, inferne pallidis,

dis, pediculo mediocri fultis; floribus nondum viſis; fructu ſiue baccis in petiolo ex foliorum alis progreſſo et diuerſimode diuaricato, racematim cohaerentibus, Oxycocco majoribus, velut reniformibus, nigris, in pulpa humida, non inficiente, fouentibus oſſiculum album, reniforme, planum ſeu compreſſum, ad pediculi exortum profunde ſinuatum, dorſo vero in ſpinam veluti triplicatam crenisque perpetuis ſcabram eleuato, cum nucleo intus ſimili, valde complanato, albo, ſaporis nauſeoſi. In Sayanski Oſtrog ſeu munimento ad Ieniſeam fluuium reperit Auctor.

Quamuis Meſſerſchmidius flores non deſcribat, ex baccis tamen monopyrenis, oſſiculorumque forma conjectare licet, plantam hanc ad Meniſpermi genus a Tourneſortio in Comment. Acad. Reg. Pariſin. definitum pertinere.

119. APIUM montanum, Seſeleos vmbella clauſa Meſſerſchm.

120. CHAEROPHYLLUM perenne, Cicutae folio, ſeminibus asperis.

Radice eſt perenni, craſſa, late fibrata, foris et intus alba, ſucculenta, eduli, Paſtinacae ſapore; caule craſſo, geniculato, cauo, vltra hominis ſtaturam aſſurgente, recto, ad nodos tantisper tumido; foliis Ci-

cutae diuiſura ſectis; vmbellis non admodum amplis; ſemine oblongo, tereti, fuſco, in apiculum attenuato, aspero, non ſtriato. Meſſerſchmidius huius deſcriptionis auctor circa Baikal lacum et Nicola Saſtaw abunde creſcentem obſeruauit.

121. MYRRHIS ramoſa, Chaerophylli folio, flore albo, ſemine ſpadiceo, oblongo, tumido, ſtriato, glabro Meſſerſchm.

122. OREOSELINUM Apii folio, ſemine niueo, majusculo Ejusd.

123. CARYOPHYLLUS ſylueſtris, anguſto breui folio, floribus minoribus, tenuiter laciniatis, purpureis, ſimplicibus Meſſerſchm. qui eum circa vrbem Tobolsky reperit.

124. LYCHIS viscoſa, foliis in longo petiolo angustis et minoribus, ad radicem copioſis, flore musco ſo, albo Ejusd.

125 LYCHNIS procera, Caryophylli folio, flore exiguo, albo Ejusd.

126 LIMONIUM elatius, longis et admodum tenuibus flagellis, floribus minimis albis.

Ad Iaicum fluuium Heinzelmanus legit.

127. LI-

127. LIMONIUM fruticoſum, glabrum, floribus in capitula congeſtis.

E caulibus breuibus, lignoſis, fuſco cortice obductis, intus flauescentibus, hinc inde intortis, modo ſupinis, modo erectis, ramuli enascuntur quamplurimi vnciales aut ſescunciales, ſquamulis cineraceis tecti, tortuoſi; ex horum lateribus nullo ordine egrediuntur foliola creberrima, pollicem circiter longa, glabra omnino, craſſiuscula, cineracea, in ſubrotundum, obtuſum, ſed minime cordatum apicem terminata, prope baſin, vbi vix dimidiam lineam lata ſunt, vaginula quadam concaua, in dorſo rubenti, ad latera vero cinerea et paullum hirſuta, inſtructa, earundemque ope ramulos hosce folioſos amplectentia. Summitatem verſus horum ramulorum aut ex ipſo quoque eorundem cacumine ramuli alii oriuntur floriferi palmares aut ſesquipalmares, teretes, glabri, erecti, ſuperne geniculati, non folioſi, ſubinde ſimplices, vtplurimum tamen extremum verſus in duos vel tres minores adhuc ramulos, pariter geniculatos diuaricati. Singulis hisce geniculis flosculi adnascuntur parui, pallide caerulei, in capitula ſquamoſa, ſubrotunda, denſiſſime congeſti, calyculisque contenti tubuloſis, ſpadiceis. Conſtant hi flosculi ex quinque petalis, totidemque ſtaminibus apicibus ſubrotundis onuſtis, embryonem in fundo calycis cingentibus; qui deinde fit ſemen oblongum, fuscum, membranula tenuiſſima obuolutum.

A. Limonio marino, fruticoſo, hirſuto Bocc. rar. plant. p. 25, et Limonio fruticoſo Bot. Monsp. App. ſeu Limonio fruticoſo, minimo, glabro

bro Pluk. Alm. 221, Phyt. Tab. 200. f. 5; nec non a Limonio maritimo, minimo C. B. P. p. 92, noſtra haec planta manifeſte differt; a primo foliis glabris non cordatis, longioribus, cauliculis minus ramoſis et intortis; floribus in capitula congeſtis: a ſecundo florum praeſertim diſpoſitione, quae diuerſiſſima ab ea, quae in figura Plukenetiana exhibetur: a tertio vero omnium partium magnitudine, diuerſiſſimoque creſcendi modo.

Ex quanam Sibiriae parte Gmelinus miſerit non memini. Ad Iaicum fluuium obſeruauit quoque Heinzelmanus.

128. LIMONIUM elatius, floribus paruis, denſe congeſtis, azureis.

E radice rubra, digitum minimum craſſitie aequante, folia nascuntur plurima, forma et conſiſtentia Limonii maritimi majoris C. B. P. 192, foliis ſimilia, ſed longiora et latiora, in ambitu ſubinde leuiſſime ſerrata, alia humi procumbentia, alia ſurrecta. E centro horum foliorum caulis ſurgit rectus, firmus, teres, glaber, pennae anſerinae craſſitie, ſesquipedalis et altior ſubinde, medium verſus in plurimos ramos ſemipedales fere diuaricatus, ad quorum exortum foliola quaedam fusca et valde acuta, minutiſſima conſpiciuntur. Hi rami iterum diuiduntur in alios minores floriferos, vnum vtplurimum tantum latus ſpectantes, vnciales aut ſescunciales, flosculis onuſtos pulcherrime azureis, pentapetalis, ſtaminibus quinque cum apicibus albis inſtructis, in denſos et elegantiſſimos thyrſos con-

vix

geſtis, calyculis contentis ſtriatis, caeſiis, tubulatis, vix lineam longis, ſemen continentibus paruum, vtrinque acutum, atro-purpureum, membranula ceu capſula obuolutum.

Pulcherrimam hancce Limonii ſpeciem Gmelinus in Sibiria legit, Heinzelmanus in Baskirorum regione ad Iaici fluminis ripam prope Oropolim nuper conditam vrbem. Ad Tanais itidem ripam reperitur.

129. LIMONIUM elatius, Plantaginis foliis procumbentibus, in aculeum terminatis, floribus albis, in capitula congeſtis.

Radicem habet rubram, craſſam, admodum longam, multasque fibras validas emittentem; folia ad radicem plurima, Plantaginis foliis quodammodo analoga, ſuperne viridia, inferne glauca, humi procumbentia, palmaria, ad baſin valde anguſta, verſus extremum, vbi latiſſima, vnciam plus minus lata, in tenuiſſimum aculeum innocuum deſinentia, glabra, craſſiuscula, ſeptem vtplurimum neruis totam eorum longitudinem percurrentibus inſignita, marginibus in junioribus vndulatis et criſpis; caulem vnicum, validum, ſesquipedalem, teretem, glabrum, leuiter ſtriatum, pennae olorinae craſſitie, verſus medium parum alatum, et in plures ramos alterno ordine egredientes diuaricatum, leuiter alatos, ſemipedales fere, quibus ſingulis ſubſunt foliola vnciam circiter longa, fusca, lata baſi caulem et ramos amplexantia, in acutum mucronem terminata, lateribus membranaceis diaphanis. Ex

N ramis

ramis hisce alii minores, anguloſi et hirſuti ad in- aequalia interualla oriuntur, ſimilibus ad exortum fo- liolis ornati, flores ſuſtinentes copioſos, paruos, albos pentapetalos, in capitula denſiſſima, ſquamoſa, alterna- tim ad breuiſſima interualla ramulis adhaerentia, con- geſtos, calycibus duas aut tres lineas longis, inferius tubuloſis, tenuibus, fuscis, ſtriatis et leuiter hirſutis, ſuperius argenteis, fere diaphanis, et floris in modum expanſis, contentos. Fundo horum calyculorum adhae- ret ſemen vnicum, ſpadiceum, lineam fere longum, vtrinque acutum, membranula fusca, tenerrima, laxa, inuolutum. Singulis porro capitulis foliola ſubſunt ſi- milia iis, quae ramis ramulisque ſubeſſe ſupra diximus. Fere ſingulis quoque calyculis alia foliola minora ſeu ſquamae potius diuerſae magnitudinis et coloris, ad ba- ſin adnascuntur; alia enim aequalis cum calyculis ſunt magnitudinis, concaua, in dorſo carinata, viridia; in vnum duoſue ſubinde apices rigidos et acutiſſimos ter- minata, lateribus argenteis et fere diaphanis; alia mi- nora ſunt, penitus membranacea et fere pellucida. Om- nia haec tam denſe congeſta et nullo ordine permixta ſunt, vt ad quem proprie calycem vnum aut alterum horum foliolorum pertineat, vix diſtingui poſſit.

An eadem ſit planta cum Limonio flosculis elegantiſſimis Francisci de Honuphriis Ray Hiſt. Plant. p. 397, aliis dijudicandum relinquo, quibus ouaſio erit, illud attentius et diligentius deſcribendi, quam a citato Auctore factum eſt.

In

In montoſis Dauriae paſſim reperit Gmelinus. Meſſerſchmidius in diuerſis quoque ejusdem regionis locis obſeruauit. Quas vidit plantas in deſertis inter Vdinskoy vrbem et riuum Kara-cho-gorochon Mongolis dictum, ſitis, in Diario ſuo recenſet ſub titulo Limonii foliis procumbentibus, ſpiculo inermi donatis; eas autem, quas in deſertis calcariis et nitroſis inter Daſchimak Nor ſeu lacum et Kyrim Bolak inuenit, ſub nomine Limonii montani, foliis humi ſparſis, rotundo acuminatis, in ſpiculum inerme abeuntibus, calyculis florum argenteis, radice perenni.

130. LIMONIUM elatius, Plantaginis foliis procumbentibus, in aculeum terminatis, floribus albis ſpicatis.

Cum praecedenti quoad habitum externum crescendique modum valde conuenit. Folia autem ſunt longiora, latiora, extremo rotundiora; caules tenuiores; ramuli floriferi longiores; flores non in denſa capitula compacti, ſed in ſpicas diſpoſiti, vnciam plus minus longas, caudae ſcorpii in modum reflexas. Foliola etiam iſta ſeu vaginae, e quarum ſinu ramuli floriferi, et in his calyculi flores ſuſtinentes prodeunt, quam in praecedenti multo ſunt minora, anguſtiora, minus acuta, laetiusque virentia.

E Baskirorum et Kirgiſiorum Tatarorum deſertis attulit Heinzelmanus.

 131. LI-

131. LIMONIUM humile, montanum, longiuſculo Bupleuri folio, annuum, calycibus florum argenteis Meſſerſchm.

In iisdem deſertis quibus n. 129. prouenire ſcribit hujus denominationis Auctor.

132. LIMONIUM montanum humile, Ephaedrae facie, calyculis florum aureis Meſſerſchm. Tab. XVIII. F. 2.

Hoc a Gmelino ſub titulo Limonii Kali facie ita deſcribitur: radix ei eſt ſimplex, calami ſcriptorii craſſitie, ad tres pollices recta in terram demiſſa, pauciſſimis fibrillis ſtipata, cortice ſanguinei coloris tecta, intus albens, ſaporis ſubdulcis, e qua cauliculi ſurgunt tenues, culmi craſſitie, duodecim et plures, ſubſtantiae lignoſae, intenſe virides, quadranguli et leuiter canaliculati, qui per breuia interualla in duos ramos abeunt eadem etiam ratione ſemel adhuc ſubdiuiſos Ramuli vero cum ramis et rami cum caule tanquam per gomphoſin articulantur. Summos ramulos vmbellae terminant, e pluribus partialibus vmbellis conflatae, quarum ſingulae componuntur ex aliquot floſculis, calycibus quadrangulis, eleganter ſtriatis, exſuccis, auri colore ſplendentibus comprehenſi. Poſterior pars calycis in ſemen oblongum, anguloſum, pilis hirtum et alba membrana obuolutum abit. Singulae partiales vmbellae foliolum viride ad exortum ſuum adnatum habent. In omnibus fere calyculis vermes coccinei coloris nidulabantur.

In

In montoſis lacus ſalſi Ononienſium camporum, floribus jam delapſis ſub initium Auguſti menſis inuenit Gmelinus; Meſſerſchmidius prope Dalai Nor ſeu Buram lacum in Dauria.

133. IRIS paluſtris, procera, anguſtifolia, caerulea, teſta ſeminali non roſtrata, turgida, ſpadicea Meſſerſchm. Xen. Iſid. Sibir.

Eandem, vt puto, in Diario ſuo ſub titulo Iridis pratenſis, anguſtifoliae, elatioris, inodorae ſequentibus breuiter deſcribit verbis: caulem habet duos pedes altos; folia anguſta, fere graminea; petala florum majora ſeu fornicata, vel etiam reflexa, ab exortu fuſca, venarumque obſcuriorum tenero contextu amoene picta, deinde omnino caerulea, valde ampliata, reliqua tria monochroma, caerulea. Ad Naroſſotai-Nor in Dauria prope Domna amnem.

IRIS humilis, anguſtifolia, lutea, teſta ſeminali roſtrata, alba Meſſerſchm.

Radice eſt perenni, carnoſa, per nodulos continuos horizontaliter proſerpente, oblonga, fibrisque deorſum quaquauerſum ſparſis, craſſiuſculis, foris e pallide fuſco albentibus, intus prorſus candidis ſuccidisque praedita, non bulboſarum inſtar tunicata, exaridorum tamen foliorum fibris perennantibus denſe ſatis veſtita; caule e ſingulis ſaepe nodis, ſaepe vno etiam alteroue

tantum, ſingulari, tereti, breuiſſimis internodiis geniculato, humili, vix pollicem transuerſum alto, neutiquam nudo; foliis mox ab infima radice e ſingulis cauliculi geniculis ſingulis, et caulem et ſe mutuo vaginatim amplectentibus, oblongis, ſaepe pollices ſex longis, ſaepe breuioribus, lineam cum dimidia latis, apicem verſus ſenſim ſenſimque anguſtioribus, tandemque acuminatis, planis, laete vtrinque viridibus, laeuiter ſplendentibus, glabris, caulem in vaginis ſuis abscondentibus; flore e ſingulorum caulium vertice ſingulari, ſummo calyci non folioſo, tumidiusculo tamen, foliorumque vaginulis adhucdum incluſo inſiſtente, monopetalo, Lilioideo, infundibuliformi, pallide luteo, ora in ſex lacinias ampliata, quarum tres latiusculae, deorſum inflexae, ſupercilioque piloſo luteo praeditae, venulis oblique transuerſalibus violaceis ſeu janthinis pictae; tres vero anguſtiores ſurſum rigentes minus pictae, ſupercilioque piloſo deſtitutae; ſtaminibus non niſi ternis e floris fundo exſurgentibus, ſupercilio piloſo aſſiduis, apiceque longiusculo albido, lanceolato munitis; piſtillo in ſtaminum medio e calycis vertice profecto, primum tereti, albo, deinde in tria petala fornicata, palati cujusdam vel vexilli in papilionaceis floribus ſimilia, lacinias floris latiusculas deorſum inflexas velut contegendo, ſtamina ſingula linguae inſtar fouentia, diuaricato; petalis fornicatis in apicem obtuſum terminatis, inſuper vero binis laciniolis auricularum ſimilibus, oblongis, acutis, antrorſum rigentibus acutis, omnino luteis. Calyx flore emarcido ſenſim in publicum prodiens abit in teſtam foliolis latiusculis vaginatim obuolutam, fere pyramidatam, tri-

lateram

lateram, apice longius protracto, gracili, acuto, trifariam dehiſcente, donatam, ſeminaque in tribus loculamentis, ſerie in ſingulis ſimplici diſpoſita, ſeruantem, irregularis figurae, vtplurimum ſubrotunda, Coriandri fere ſemine majora, foris rugoſa, pallida, intus ſubnigricantia, dura, odoris et ſaporis expertia. Haec menſe Auguſto matura erant. Radicis ſapor feruidus; floris odor leuiter hircinus eſt.

In colle quodam petroſo, decem milliaria Ruthenica ab Vdinskoy vrbe diſtante, ad Vdam fluuium ſito, maxima hujus Iridis copia prouenit, ita vt per integrum milliare praeter hanc nullam fere aliam plantam ibidem obſeruauerim. Meſſerſchm.

134. IRIS humilis anguſtifolia, caerulea, teſta ſeminali non roſtrata, alba Meſſerſchm.

Ad Narangai lacum in Dauria reperit Auctor.

135. IRIS dichotomos, latifolia, variegata, procerior, flore paruulo Meſſerſchm.

Hanc in Diario ſuo Meſſerſchmidius ita deſcribit; radicem habet tantisper horizontaliter ſituatam, vix digitum manus minorem craſſam, leuiter nodoſam foris et intus albam, fibrisque capillaribus demiſſis pluribus barbatam, inſipidam, ſaltem minus ad ſenſum acrem; folia a radice ſtatim et caulem et ſe mutuo vaginatim amplectentia, alterno ordine locata, ſextam fere ſuae longitudinis partem lata, vtrinque plana fibrataque, in apicem acutangulum mucronata, ſaturate viridia, glabra; caulem teretem, leuiter compreſſum,

genicu-

geniculatum, ad ſingula plerumque genicula diuaricantem, folioque exiguo inſtructum, duos fere pedes altum, ſaturate viridi glabrum; flores in ſingularum diuaricationum ſummitate plures, vel ternos, vel quaternos, ex albo, rubro viridique variegatos, monopetalo lilioideos, ad exortum velut infundibuliformes et in partes ſex ampliatos, quarum tres arriguae, dilute janthini purpurascentis coloris, minus variegatae, tres reliquae reſupinatae vel retroflexae, pariter dilute purpureo-violaceae, punctulis intus albis majusculis guttatae, ſplendentes, ſuperciliisque piloſis vix ac ne vix comparentibus praeditae, foris maxima ſui parte ſaturate virides, apicem verſus purpurascentes, parum arrectis latiores amplioresque; piſtillum e floris fundo aſſurgens, quam in aliis Iridibus breuius, ſterile, tubulo excretorio deſinente in tres lacinias fornicatas palati ſimiles, anteriore apice obtuſas, purpurascentes, punctulis albis guttatas, binisque in apice laciniis longiusculis, acutis, auricularum aemulis, purpurascentibus auctas, ſub quibus ſtamina ſingularia, breuia, apice longiusculo, luteo inſtructa delitescunt; calycem turgidulum non folioſum, abeuntem in teſtam trigonam, apice trifariam dehiscentem, in tria loculamenta diuiſam, ſeminibus pluribus foetam. Odor florum vix perceptibilis eſt. In apricis, herbidis, tantisper vliginoſis Dauriae menſe Iulio floret.

136. IRIS latifolia, dichotomae latifoliae flore paruo, rubeo, variegato, teſta ſeminali oblonga, non roſtrata, ſtrictiore, alba Meſſerſchm.

137. PHA-

137. PHALANGIUM Veratri foliis.

Radice figitur fibroſa, caulem vnicum tenuem, palmarem promens, duobus tribusue foliis Hellebori albi folia referentibus, caulem vaginis ſuis amplexantibus, ſtipatus. Flores octo vel nouem ſecundum longitudinem caulis alternatim poſiti, minores, hexapetali, candidi, ſtamina alba, apicibus obscure violaceis inſtructa includentes.

In locis paludoſis ad Ingodam ſub initium Iunii menſis florebat.

138. LILIUM reflexum, montanum, humile, anguſtifolium, aurantium, Sarana Mungulis in Dauria, Meſſersſchm.

Eandem hancce plantam, vt opinor, Gmelinus quoque miſit ſub titulo Lilii breui et gramineo folio C. B. P. 79. In catalogo plantarum in transbaikalenſibus regionibus obſeruatarum idem notat, florum colorem elegantiſſimum, miniatum eſſe, florere eodem modo, quo Lilium rubrum anguſtifolium C. B. mox enim vnicum, mox plures flores proferre; vtrumque hoc Lilium Ruſſico a Tataris mutuato nomine Capaна, Sarana dici; Tunguſos et Buratos bulbos effodere et comedere; vtrumque tam in campis, quam in montoſis Dauriae prouenire. Specimen ſiccum Gmelinianum pedalis erat altitudinis, caule admodum tenui, duriusculo, cineraceo, inferne tereti, ſuperne parum anguloſo, foliis veſtito ab imo ad ſummnm vsque, alterno aut nullo ordine ad breuiſſima interualla egredientibus, biuncialibus plus minus, vix dimidiam lineae partem

O latis.

latis. Supremum caulis in florem terminabatur amoene miniatum, non maculatum, paruum, ſex petalis, vnciam circiter longis, vtrinque anguſtis, in medio trientem vnciae latis, compoſitum.

139. LILIUM montanum, floribus reflexis, rubris, purpureis maculis inſcriptum, folio anguſtiore; an Hemerocallis flore rubello Lob. Ic. 168? Meſſerſchm. qui paſſim circa Tobolsky prouenire ſcribit.

140. ORNITHOGALUM pumilum, graminifolium, luteum Meſſerſchm.

Radice eſt bulboſa, exigua, vix Piſum aequante, rotunda, alba, ſubtus fibris aliquot capillaribus longiusculis velut barbata, ſuccida, Caepe odore debili praedita; caule breui, vix duas vncias cum dimidia longo, erecto, teretiusculo, viridi tenuique; foliis a radice denſioribus, deinde in caule vix niſi altero alteroque ſigillatim alternantibus, gramineis, non fiſtuloſis, longis fere quatuor pollices, non niſi vnicam lineam latis, ſaturate viridibus, ſenſim breuioribus, tandemque ſub flore breuiſſimis, vix ſeptem lineas longis; flore in caulis ſummitate vnico, ſaltem plerumque, liliaceo, polypetalo, ex petalis ſex velut radiato, calycis experte, petalis oblongis, lineam latis, antrorſum acuminatis, intus pulchre luteis, foris quadantenus ſpadiceis, ſtaminibus ſenis, quorum tria apices habent exiguos, tria altero tanto majores, luteos, piſtillumque arcte ampleċtuntur; piſtillo inter media ſtamina oblongo, teretiusculo, tuba excretoria, breuiuscula,

cula aucto, in capitulum trifidum vel tricorne deſinente, lutea; infima piſtilli parte abeunte in teſtam oblongam, prismaticam, trilateram, apice trifariam dehiscentem, ſemineque foetam exiguo, plurimo. In collibus petroſis ad Vdam fluuium. Meſſerſchm.

141. DSONGILGAH vel DSONGILLEY Tatarorum graminifolia, bulboſa radice, flore liliaceo, purpureo, monanthos, cujus radicem Tatari comedunt, quae tamen fere inſipida eſt. Ad Ys fluuium Auguſto menſe obſeruauit Meſſerſchm.

142. PORRUM montanum, Asphodeli folio, floribus in capitulo majori rubeis Meſſerſchm.

143. LUPINASTER floribus purpureis, ſiliquis minoribus.

Radix huicc craſſiuscula, longa, alba, valde fibroſa, perennis. Caules ex vna radice plures oriuntur ſesquipedales et longiores ſubinde, teretes, ex viridi purpurascentes, ſparſa et tenuiſſima lanugine obducti, duri, intus caui, erecti vtplurimum, aliquando terram verſus reclinati, crebris geniculis tumentibus per biuncialia plus minus interualla diſtincti. Singulis hisce geniculis vagina adnascitur dimidium circiter pollicem longa, pallide viridis in dorſo, ad latera membranulis

 fus-

fuſcis in apices acutiſſimos et fere diaphanos excurrentibus, inſtructa, internodium proximum arctiſſime amplectens. E ſummitate harum vaginarum inter apices iſtos fere diaphanos folia egrediuntut vtplurimum quina, ſingula pediculis breuiſſimis vix dimidiam lineam longis, inſidentia, glabra, ſuperne laete viridia, inferne pallidiora, in ambitu tenuiſſime ſerrata, deorſum parum inflexa, craſſiuscula et neruoſa, inſtar foliorum Trifolii montani ſpica longiſſima rubente C. B. Inaequalis haec ſunt longitudinis; duo enim lateralia tribus interioribus breuiora et anguſtiora ſunt, medium omnium eſt longiſſimum, duos pollices cum dimidio interdum longum, vtrinque anguſtatum, in medio trientem circiter vnciae latum. E vaginarum autem ſinubus alterno ordine modo ramuli oriuntur caulibus ipſis per omnia ſimiles, modo pediculi nudi, lanuginoſi, e viridi purpurascentes, ejusdem fere cum caulibus craſſitiei, carinati, in altera ſcilicet parte gibbi, in altera concaui, flores in ſummitate gerentes plurimos, papilionaceos, purpureos, in denſa capitula ſubrotunda congeſtos. Singuli flores calyculis continentur monophyllis, inferne tubulatis, e viridi purpurascentibus, in quinque acutiſſima ſegmenta diſſectis, petiolis ſuſtentatis lineam circiter longis. Vexillum florum oblongum eſt, dimidium praeter propter pollicem longum, purpureum, concauum, modice ad margines reflexum, parum ſurrectum, in apicem recurvum et carinatum deſinens; alae latiusculae ſunt, concauae, obtuſae, dilute purpurascentes, baſin verſus, qua carinae adhaerent, auritae; carina pallida eſt, ejusdem cum alis longitudinis, in duas partes alis fere ſimiles

per

per longitudinem dehiſcens, intra quas piſtillum latet, ex fundo calycis originem ducens, vaginula obuolutum fimbriata, apicibus croceis onuſta, quod deinde marceſcentibus floribus in ſiliquam excreſcit dilute fuſcam, tres aut quatuor lineas longam, vnam plus minus latam, marcidis floris partibus reſiduis omnino tectam, vnicapſularem, planam, in apicem hamatum terminatam, vno tantum latere dehiſcentem, ſeminibus foetam quatuor aut quinque, paruis, reniformibus, fuſcis. Iunio Iulioque menſibus in hiſce regionibus abunde flores profert; fructus vero Auguſto demum ad maturitatem perueniunt.

Quantum hic a Buxbaumii Lupinaſtro Comment. Acad. Scient. Imper. Petropol. Tom. II. p. 345. Tab. XX. differat, vtrasque deſcriptiones comparanti facile patebit. Noſter enatus eſt ex ſeminibus jam ante decennium a Meſſerſchmidio in Sibiria lectis, cui idem audit: Dorycnium pratenſe, erectum, pentafido folio, majori, ſerrato, floribus conglomeratis, purpureis. Specimina ſicca ab Heinzelmano primum habuimus e Baskirorum regionibus allata; poſtea ſimilia a Gmelino ex vlteriori Sibiria miſſa ſunt.

144. LUPINASTER floribus albis, ſiliquis minoribus.

Florum colore a praecedenti tantum differt, et in iisdem regionibus occurrit.

145. OROBUS hirſutus, anguſtifolius, floribus luteis.

Caules quadranguli, ſtriati, e luteo viridescentes: folia biuncialia, valde acuta, duas plus minus lineas lata, conjugata, coſtae ſescunciali, in mucronem abeunti, ad exortum auritae innascentia, neruoſa, tria vtplurimum in vnoquoque coſtae latere. Auriculae, quae coſtarum baſi adnascuntur, anguſtiſſimae ſunt, ſemunciales fere, in mucronem tenuiſſimum terminatae. Ex coſtarum autem alis pediculi oriuntur tres aut quatuor vncias longi, quadranguli itidem, foliis deſtituti, flores in ſummo gerentes quatuor aut plures majusculos, luteos, quos delapſos ſubſequuntur ſiliquae longae, anguſtae, paulum compreſſae. Maturas non vidimus. Tota planta pilis breuiſſimis, albicantibus obſita eſt. In monte Aktubah circa Wercho-Iaik verſus Vralenſes Alpes, nec non in apricis montis Vranje prope fontes fluuii Iaik, Heinzelmanus reperit.

146. OROBUS hirſutus, anguſtiſſimis foliis, floribus luteis.

A praecedenti differt partium omnium paruitate; foliis acutioribus et anguſtioribus, vix dimidiam lineam latis. Iisdem quibus praecedens locis inuenitur.

147. VICIA multiflora, maxima, hirſuta, Glycirrhizae foliis, rigidis et neruoſis.

Ad Viciam ſyluaticam maximam, Piſo ſylueſtri ſimilem I. B. Tom. II. p. 315, proxime accedit; differt autem caulibus validioribus, fere lignoſis; foliis acutioribus, craſſioribus, neruoſioribus et rigidioribus, Gly-

Glycirrhizae ſiliquoſae vel Germanicae C. B. folia non male referentibus; floribus minoribus, purpureis, in denſiores ſpicas congeſtis. Tota porro planta breuiſſimo tomento albicante obducta eſt. Radix perennat. Ad Vdam fluuium in Dauria Gmelinus reperit. Eſt Vicia Glycirrhizae folio ſurdo Meſſerſchmid. Xen. Iſid. Sibir.

148. ASTRAGALOIDES elatior, erecta, Viciae foliis, floribus luteis, ſiliquis pendulis.

Caules huic ſunt pedales aut cubitales, erecti, glabri, anguloſi, ſummitatem demum verſus ramoſi; folia Viciae vulgaris foliis paulo minora, ex ſex, ſeptem aut pluribus pinnarum paribus obtuſis, inferne longiusculis et albicantibus pilis obſitis compoſita, cum impari coſtam claudente; flores lutei papilionacei in ſummis caulibus, quinque vel ſex, in laxam ſpicam diſpoſiti, quos ſequuntur ſiliquae vnciales, latae, membranaceae, inflatae, pendulae, vnicapſulares, pluribus ſeminibus foetae reniformibus, nigricantibus.

Studioſus Steph. Kraſcheninnikow in ſuperiori Ononis regione ſub finem Iulii menſis florentem et fructus ferentem collegit, referente Gmelino.

149. ASTRAGALOIDES hirſuta minor, non ramoſa, floribus purpurascentibus. Tab. XIX Fig. 1.

Nouum ex hac et ſequenti conſtituit genus Cl. Gmelinus et Dorycnioidem appellauit ob affinitatem, vt ſcribit, quam cum Dorycnio foliorum ratione habere videtur. Pace Viri Cl. dictum ſit, folia harum plan-

plantarum minime comparari poſſe cum Dorycnii foliis; haec enim ad exortum vsque multifida ſunt et nullis pediculis ſuſtentantur; illius vero foliola coſtae ſimplici adhaerent. Neminem vero, arbitror, ideo nouum genus ex iis conſtituturum, quod foliola ſeu pinnulae potius plures ex vno coſtae puncto ſimul enascantur; folia namque niſi ſumma neceſſitate ad definienda plantarum genera nihil faciunt; cumque flos et fructus Aſtragaloidis characteribus reſpondeant, nullam video rationem, cur non eidem generi ambae hae plantae annumerentur.

Nomen, quod Gmelinus huic ſpeciei attribuit, eſt Dorycnioides humile, flore purpurascente. Ejusdem autem deſcriptio ſic ſe habet: e radice longius in terram producta, albente, tenuem calamum ſcriptorium craſſitie aequante, plantula ſurgit vix aliquot pollices alta, ad radicem mox multos promens pediculos, quorum plurima pars foliis tantum onuſta eſt, anguſtis et acutis, quinque ſex et ſeptem, per breuia interualla, ſed non exacte verticillatim caulem ambientibus. Duo vel tres pediculi floriferi ſurgunt, non niſi in ſummitate foliola quaedam et ex eorum alis flores emittentes dilute purpureos. Vexillum floris amplum; alae multo breuiores et anguſtiores; carina non hians, ſed clauſa fere, apice longo ſuperius terminata; ſtamina flauescentis ſunt coloris; calyx oblongus, rubens, ſuperius in ſeptem lacinias inaequales diuiſus, quinque enim poſteriores longiores ſunt duabus anterioribus. Tota planta, exceptis floribus, pilis albis, longis, obſita, hinque incana et villoſa eſt.

Ad

Ad dextram Selengae fluuii ripam quadraginta leucas ſupra Vdinium vrbem ſub finem Maii menſis florentem inuenit Gmel.

150. ASTRAGALOIDES incana, non ramoſa, floribus carneis. Tab. XIX. F. 2, 2.

Radix A Tab. XIX. alba, exſucca, ſubdulcis, in duo aut plura plerumque capita diuiſa, filis quaſi contexta, paucis fibrillis capillata, ad dimidium pedem terrae infixa, plures emittit caules dodrantales et interdum cubitales, lanugine alba pubescentes, quorum plurimi folia tantum, pauci tres nimirum vel quatuor, flores ſuſtinent. Caules folioſi ab imo ad ſummum vsque foliolis ſtipantur anguſtiſſimis, oblongis, breuiori lanugine veſtitis, in adulta planta paulo latioribus et minus incanis, tribus vel quatuor ſimul junctis, ex vno quaſi puncto egredientibus. Caules floriferi foliis nudi, in ſpicam florum cauli alternatim tanquam axi adhaerentium, ſesquipollicem longam terminantur. Flos ſtructura priori ſimilis; vexillum dilute carnei coloris rubris venis varium, circa baſin vtrinque lutescens; alae ejusdem vbique carnei coloris; carina anterius pulchre violacea, cuspide et poſteriori parte carnea. Ex calyce a dimidium pollicem longo, ſuperius in quinque acutas lacinias fiſſo et poſterius foliolo oblongo anguſto et acuto inſtructo, piſtillum ſurgit vagina inuolutum, ſuperius inflexum et ſtaminibus flauis cinctum, quod deinde abit in ſiliquam pollicem fere longam, quadrantem vnciae latam, incanam et lanuginoſam, inflatam. Menſe Iunio ad Ingodam et Auguſto ad Ononem fluuios tam

P floren-

florentem, quam ſiliquas ferentem inveni. Ejusdem varietas albo flore Selengia transmiſſa eſt. Figura plantam ad viuum exprimit. B eſt pediculus folia ſuſtinens; C ſiliquas repraeſentat floribus ſuccedentes, ſed nondum maturas. Haec omnia Gmelinus, cui haec audit Dorycnioides majus flore carneo.

Siliquam plantae ſiccae adhuc adhaerentem, nondum tamen penitus maturam, attente examinaui et vnicapſularem, ſeminibus paruis reniformibus foetam deprehendi.

LATHYROIDES. Tab. VII. Fig. 2.

151. LATHYROIDES eſt plantae genus, Auctore Cl. Meſſerſchmidio, flore papilionaceo, vexillo nempe cordiformiter crenato et reflexo, alis et carina conſtante; ex cujus calyce breui, leuiſſime crenato, ſurgit piſtillum vagina membranacea, ſtaminulisque fimbriata incluſum; quod deinde abit in ſiliquam longam, membranaceam, vnicapſularem, biualuem, ſeminibus foetam pluribus quaternis vel quinis, ſubrotundis. His notis addendum eſt, folia bina tantum coſtulae breui, ad caulem auritae, in mucronem abeunti clauiculisque deſtitutae, inſidere.

Vnicam hujus generis ſpeciem Auctor in Xenio Iſid. Sibir. recenſet, nempe

LATHYROIDEM erectam, folio ouato-acuminato, caeruleis Viciae floribus et ſiliquis, Sibiricam. Tab. VII. Fig. 2.

In Diario ejusdem ſequens ſingularis hujus plantae proſtat deſcriptio: radice nititur perenni, paruula, in

in fibras quaquaverſum horizontaliter et late ſparſas, craſſiusculas, fibrillis ſuis capillaribus donatas, diradicata, foris fusca, intus alba; cauliculis ab vna radice binis, ternis vel quaternis, raro ſingularibus, rectis, rarius in ramulos diuaricantibus, teretiusculis, glabris, non geniculatis, nec emarginatis, plenis, viridibus, ad alterum ſaepe pedem ſurgentibus; foliis per alterna interualla caulem ambientibus binis, coſtulae breui, circa caulem auritae, non in clauiculas ſed in mucronem abeunti affixis, latiusculis e rotundo oblongis, acuminatis, Pyri foliorum aemulis, ambitu integris, tactu duriusculis, ſaturate viridibus, ab auerſa pallidioribus, vtrinque glabris, parum ſplendentibus, ſiccioribusque; floribus in ſingulari pediculo aphyllo e foliorum vel auricularum alis egreſſo, vno plerumque verſu diſpoſitis, breuiſſimoque petiolo pendulis, Viciae florum aemulis, caeruleis, ſubpurpurascentibus, inodoris, papilionaceis, vexillo latiusculo cordiformiter crenato et reflexo, alis exiguis anguſtis, carina admodum adunca, non roſtrata; calyculo in viridi purpurascente; piſtillo ſua vagina membranacea ſtaminibusque fimbriata obuoluto, abeunte in ſiliquam longam, Viciae ſiliquis ſimilem, membranaceam, flauicantem, laeuem, vnicapſularem, biualuem, in calyce maturescentem, e valuulis diſſilientibus inque ſpiram conuolutis, conſtantem, ſpargentem ſemina quaterna plerumque vel quina, globoſa, Viciae ſeminibus accedentia, laeuia, fusca. Odor et ſapor totius plantae praeter herbaceum leguminoſum euidentior nullus. In apricis montanis et herbidis Sibiriae vniuerſae paſſim et frequens inuenitur.

In Pinetis Nertſchienſibus et in campis Argunienſibus Iunio et Iulio menſibus florentem hanc plantam Gmelinus quoque reperit et ibidem delineari curauit ſub titulo Lathyroidis caeruleis Viciae floribus, cujus etiam figura hic exhibetur, Tab. VII. fig. 2. Scribit praeterea Gmelinus figuram ſuam ſpecimen ſiſtere, a cujus inferiore parte caulis trium circiter pollicum longitudine, vbi foliis orbatur, absciſſus eſt. Lit. a ſiliquam monſtrat, quam ex ſiccis a Gmelino transmiſſis delineari curaui. Ab Aphaca hocce genus diſtinctum eſt, quoniam nec ſcandit, nec capreolos emittit, et quod folia coſtae non caulium nodis adnascuntur. Ab Orobo autem differt foliis ſeu pinnis tantum binis.

152. HEDYSARUM ſaxatile, ſiliqua laeui, floribus purpureis, inodorum Meſſerſchm.

153. HEDYSARUM ſaxatile, ſiliqua laeui, floribus albis, inodorum Meſſerſchm.

Ad Ieniſeam fluuium prope Soctu et Tſchereſch in deſertis petroſis. Circa hujus et praecedentis flores notauit Meſſerſchmidius, vexillum eorum cum alis eandem habere longitudinem, carinam vero multo vtrisque longiorem.

154. HEDYSARUM triphyllum floſculis albis, polyanthos, ſilicula laeui.

E radice perenni plures ſurgunt caules pedales aut ſesquipedales, lignoſi, teretes, glabri inferne, ſuperne leuiter hirſuti et ſtriati, vtplurimum ſupini in ſolo

libero

libero, in fictili erecti, mox a radice in plurimos ramos brachiati, quibus ad breuiſſima interualla folia adnaſcuntur terna communi pedunculo breui, vix duas lineas longo inſidentia, anguſta, viridia, tenuiſſimis albicantibus pilis obſita, neruoſa, in ambitu minime dentata, quorum medium duobus lateralibus majus vnciam praeter propter longum eſt, pollicisque quadrantem latum, vtrinque anguſtatum, in tenuiſſimum mucronem deſinens. Ex alis horum foliorum per totam fere ramorum longitudinem pediculi oriuntur admodum graciles, vix dimidiam vnciam longi, in ſummitate floſculos gerentes paruos, lactei coloris, tres, quatuor, aut quinque ad ſummum, papilionaceos, calyculis tubulatis, purpuraſcentibus contentos; vexillum florum ouatum et ſurrectum eſt, album, prope baſin tantum ſtriis aliquot purpureo-violaceis inſignitum; alae paruae albae, obtuſae, conniuentes, carinamque obtegentes, quae ejusdem eſt magnitudinis cum modo dictis alis, alba, monochroma, intra ſinum ſuum piſtillum continens vaginula fimbriata congenerum ad inſtar obuolutum. Floribus marceſcentibus ſiliculae ſuccedunt ſubrotundae duas plus minus lineas longae, pubeſcentes, nec asperae, nec in margine vndulatae, ex vnico vtplurimum conceptaculo conſtantes, ſemine foetae atro-rubenti, reniformi, plano, grano ſinapi vix majori.

Enata nobis eſt haec planta ex ſeminibus, ni fallor, in Sibiria lectis. Deſcriptio facta eſt ſecundum exemplar in olla fictili nutricatum.

155. HEDYSARUM villoſum, argenteum, non ramoſum, floribus ſpicatis, purpureo-violaceis.

E radice craſſa, alba, inodora, folia oriuntur plura, ſemipedalia, ex tribus pinnarum conjugationibus plerumque, vna cum impari coſtam claudenti, compoſita, Hedyſari clypeati flore ſuauiter rubente Hort. Eyſt. valde ſimilia, pinnis tamen paulo latioribus et acutioribus. E centro horum foliorum caulis exit nudus, non ramoſus, ſemipede interdum altior, interdum breuior, teres, leuiter ſtriatus, in ſummitate ſpicam gerens biuncialem aut triuncialem, ſesquipollicem circiter latam, ex floribus quamplurimis compoſitam, a viginti ad triginta vsque, ſuntque hi flores valde ampli pro plantae magnitudine, ſpecioſi, purpureo-violacei, dum aperiuntur horizontali ſitu diſpoſiti, marcescentes vero penduli, calycibus contenti in foliola anguſtiſſima, acutiſſima et villoſiſſima profunde diſſectis. Piſtillum, fundo calycis adhaerens, excrescit tandem in ſiliquam ſemuncialem aut longiorem, articuloſam, lanuginoſam, ex duobus, tribus vel quatuor peltatis orbiculis paruis conſtantem, et in breuem mucronem vncinatum terminatam, in ſingulis orbiculis ſemen ſerentem reniforme, nigricans. Siliquae hae intra floris partes, quae quamuis jam emarcidae, minime tamen in terram delabuntur, fere absſconditae ſunt, quod a natura ideo factum eſſe videtur, ne articuli harum ſiliquarum leuiſſime ſibi inuicem adhaerentes, integumento hocce deſtituti, antequam ad maturitatem peruenerunt, aeris externi injuriis diſrumperentur, ſeminaque immatura contra naturae ſcopum in terram caderent. Integra haec elegans plan-

planta, floribus exceptis, ſericeo, candidiſſimo et ſplendenti tomento obducta eſt. Menſe Iulio floret, Auguſto ſemina maturat.

In campis aridis Kirgiſiorum Tatarorum et in collibus lapidoſis deſerti Nagaici orientem verſus, nec non in monte Vranje et in apricis circa fontes Guberly amnis Heinzelmanus obſeruauit.

156. LOTUS montana, humilior, trifolia ad caulem alata, lutea, ſiliqua modo recta, modo Medicaginis inſtar falcata, nigra, ſemine luteo Meſſerchm.

157. LOTUS montana, erecta, oblongo et anguſto folio, paruulo, et ſiliqua Meliloti, ſepto oblique tranſuerſo diuiſa, bicapſulari, ſemina vtrinque bino Meſſerſchm.

158. MELILOTUS ſupina, latifolia, ſiliqua lata membranacea, compreſſa Comment. Acad. Imp. Petropol. Tom. nondum edit. vbi deſcriptio et icon.

Hanc eandem eſſe plantam exiſtimo, quam Meſſerſchmidius in Diario ſuo vocat Leguminoſam procumbentem, paluſtrem, folio terno Anonidis vel Foeni graeci, ſiliqua breui, latiſſima, nigra, ſeminibus flauicantibus, Meliloti ſimilibus, in montoſis Arbath Iabaſch et Abacan obſeruatam.

159. ME-

159. MELILOTUS ſupina, anguſtifolia, Medicae facie, ſiliqua compreſſa.

E radice craſſiuscula, profunde in terram demiſſa, reſtibili, parum fibrata, plures oriuntur cauliculi duri, ſupini, teretes, viridescentes, pedales aut ſesquipedales, mox in innumeros fere ramos ramulosque diuiſi et ſubdiuiſi, quibus creberrima adnascuntur foliola terna, Medicae legitimae Cluſii foliis ſimilia, glabra, verſus extremum tantum dentata. E foliorum autem alis pediculi egrediuntur vnciales aut ſescunciales, tenuiſſimi, in extremo flores ſuſtinentes tres vel quatuor, raro plures, longiusculis pedunculis innixos, extus purpureo-violaceos, intus flauos, ex vexillo breui, parum ſurrecto, obtuſo, et alis anguſtis ejusdem fere cum vexillo longitudinis, atque carina breuiſſima intra alas delitescenti, compoſitos. Hisce floribus ſuccedunt ſiliculae ſemunciales, tenues, compreſſae, duas circiter lineas latae, in apicem acutum terminatae, vnicapſulares, per maturitatem nigricantes, ſemina continentes quatuor aut quinque parua, reniformia, flauescentia.

In *Sibiria* ſponte prouenit.

160. MELILOTUS montana, minore folio, floribus longa ſerie luteis, ſemine luteolo. Meſſerſchm.

161. ASTRAGALUS Galegae foliis, floribus ſpicatis purpurascentibus, ſiliquis glabris.

E radice alba, profunde admodum terrae infixa, multasque fibras fortes, albicantes quaquauerſum emittente, plures ſurgunt caules, erecti vtplurimum, ſubinde

ſubinde etiam ſupini, lignoſi fere, teretes, inanes, bipedales aut tripedales, e viridi purpurascentes, admodum ramoſi, ſummitatem verſus tenuiter ſtriati, quibus ad biuncialia plus minus interualla alterno ordine adnaſcuntur folia Galegae foliis ſimilia, ex nouem, decem aut duodecim, raro pluribus pinnarum conjugationibus et impari in extremo coſtae haerente, compoſita. Harum pinnarum color inferne ſubincanus eſt, propter plurimos breuiſſimos albentesque pilos earundem ſuperficiei firmiter appreſſos, ſuperne vero pulchre viridis. Tempeſtate ſerena interdiu explicantur, noctu vero et tempore nubiloſo contrahuntur ad inſtar foliorum Mimoſae.

Summitatem verſus tam caulium, quam ramorum flores enaſcuntur plurimi, in ſpicam oblongam, vncialem, ſescuncialem aut biuncialem denſe congeſti, communi pediculo ſemipedali fere, ex alis foliorum egredienti, ſtriato, valido, ad medium vsque aut vltra nudo, adnati, pedunculis breuiſſimis, tenui ſed latiuscula ligula ad baſin praeditis, inſidentes, antequam aperiuntur, erecti, expanſi vero horizontali, mox pendulo ſitu diſpoſiti, marcescentes, crescente embryone, iterum ſurrecti. Conſtant autem hi flores ex vexillo incuruo et concauo, dimidiam circiter vnciam longo, initio e viridi flauescente, poſtea pallide purpurascente, cujus orae extrorſum flexae et conuolutae ſunt; ex alis paruis, anguſtis, ſinuoſis, et auritis, flauescentibus admixta tenuiſſima purpura; et carina tandem reliquis partibus multo breuiori, concaua, criſtata, ad latera ſinuoſa, apicem verſus purpureo-violacea. Intra hanc

Q mem-

membranula quaedam conſpicitur pallida et fere dia-phana, piſtillum obtegens et inuoluens, cum aliquot ſtaminibus apicibus onuſtis. Hujus membranulae extremum in plures cirrhos diſſectum eſt, ſtaminum inſtar apicibus praeditos, quam ob rem ea nihil aliud eſſe videtur, quam plurium ſtaminum concretio. Interiores partes floris, piſtillum ſcilicet cum ſtaminibus et apicibus, in vigente flore non niſi diductis aut abſciſſis exterioribus in conſpectum veniunt. Omnes autem hae partes calyce continentur tubulato, quinquefido, pallide flauescente. Piſtillum denique delapſis floribus fit ſiliqua bicapſularis, ſemunciam plus minus longa, duas circiter lineas lata, aequalis fere vbique craſſitiei, initio e viridi purpurascens, per maturitatem fuſca, glabra, in apicem breuem, recuruum terminata, ſeminibus foeta plurimis, paruis, reniformibus, fuſcis.

Perennis eſt planta, Iunio Iulioque menſibus florens, ſeminaque Auguſto demum menſe matura proferens. Creuit ex ſeminibus ante decennium a Meſſerſchmidio in Sibiria lectis.

162. ASTRAGALUS ſyluaticus, montanus, procerior, albo flore, ſiliqua breui, glabra, ſemine luteo Meſſerſchm. Xen. Iſid. Sibir.

163. ASTRAGALUS ſaxatilis, floribus albis in ſpicam breuem digeſtis, ſiliqua hirſuta Ejusd. Diar.

De hoc ſequentia tantum notat Auctor loco citato: floris nimirum vexillum exceſſu notabili alas transgredi; carinam vero tantundem alis breuiorem eſſe, et

et vexillum adeo altero tanto longius carina. Ad Ieniſeam fluuium prope Soctu et Tſchereſch in deſertis petroſis inuenit.

164. ASTRAGALUS hirſutus, procumbens, Viciae foliis cordatis, ſiliquis incuruis.

Radix longa, valde fibrata plurimos emittit caules, viginti et plures, ſupinos, hirſutos, molles, teretes, cauos, leuiter ſtriatos, duos, tres aut quatuor ſubinde pedes longos, calami olorini craſſitie, foliis veſtitos crebris, Viciae ſatiuae foliis admodum ſimilibus, mollibus et hirſutis, ex decem vtplurimum pinnarum conjugationibus, vna cum impari in coſtae extremo, conſtantibus. Hae pinnae valde tenerae ſunt ſtructurae, coſtae mediae ope pedunculorum vix lineam longorum affixae, prope baſin anguſtae, in medio dimidiam circiter vnciam latae, in extremo cordatae, tam ſuperna quam inferna ſuperficie hinc inde pilis longiusculis et albentibus praeditae, marginibus vtplurimum conuolutis. Prope exortum vero coſtarum duo foliola anguſtiſſima, hirſuta et aurita, dimidiam fere caulis circumferentiam arcte amplectentia conſpiciuntur.

Ex alis foliorum per totam caulium longitudinem enaſcuntur pediculi biunciales aut triunciales, hirſuti, teretes, firmi ſatis, non folioſi, verſus extremum floſculos gerentes minutos, plurimos, rubentes, in ſpicam vncialem denſe compactos, calyculis contentos flauescentibus, piloſis, tubulatis, in quinque ſegmenta inaequalia anguſtiſſima et acutiſſima ſectis; tria enim, quae ex oppoſito carinae florum viſuntur, reliquis duo-

bus longiora ſunt et magis patentia. Vexillum florum pallide rubet, atque parum ſurrectum et excauatum eſt; alae anguſtae valde ſunt, excauatae itidem, prope baſin auritae, pallidae; carina in apice rubet et fornicis inſtar excauata eſt. Intra hujus cauitatem continetur piſtillum, multis ſtaminibus, baſin verſus coalescentibus et embryonem obtegentibus, apicibusque ſubrotundis croceis onuſtis, ſtipatum, quod deinde marcescentibus floribus in ſiliquam excrescit paruam, tenuem admodum et anguſtam, hirſutam, arietis cornu adinſtar intortam, primo pallide virentem, per maturitatem fusco-nigram, in duo loculamenta diuiſam, in quibus continentur ſemina plurima, parua, reniformia, flaua.

Enata nobis eſt haec planta e ſeminibus ab Heinzelmano apud Baskiros lectis. Specimina ſicca, quae idem nobiscum communicauit, caules vix ſpithamales habebant. Per totam aeſtatem floret: radix autem ſingulis annis perit. Figura conuenire videtur cum Aſtragalo repenti, ſiliquis vndulatis Buxbaum. Cent. III. Tab XXXIX, quae figura ſpecimen ſiccum in loco natali lectum ſat bene exprimit. Differt autem deſcriptione.

165. ASTRAGALUS humilis Viciae folio oblongo et anguſto, purpureus, ſiliquis conglomeratis, longiusculis, ſubhirſutis Meſſerſchm. Diar.

Radice eſt longius proſerpente, lignoſa, dura; caulibus fere fruticantibus, duris et lignoſis, cortice fusco, in ramulos plures diuaricatis; coſtis foliorum plerumque alternatim ſingularibus, breuibus, vix pal-

mum

mum longis; foliis ad coſtam ex aduerſo binis, per majuscula interualla digeſtis, vtrinque laete viridibus, ſubtus tantisper pallidioribus et leuiſſime hirſutis, Lentis non diſſimilibus, impari coſtam claudente; floribus in longi petioli ex coſtarum alis egreſſi, nudi, ſummo cacumine in capitulum ſubrotundum conglomeratis, breui pediculo ſeorſim fultis, ſurſum rigentibus, caeruleo-purpureis, papilionaceis, Onobrychidis fere ſimilibus, vexillo latiusculo parumper repando integro, lineolis albis ſubtiliſſime intus ſtriato, caeteroquin monochromo purpureo; alis vtrinque ad vexilli apicem vsque exporrectis, longiusculis; carina vero notabiliter vtrisque breuiore, compreſſa; piſtillo vaginulae fimbriatae incluſo abeunte in ſiliquam, calyci tubulato, ad oram leuiter quinquefido, inſidentem, oblongiusculam fuscam, ſubhirſutam, apice tenus dehiscentem, bicapſularem, ſeminibus reniformibus, fuscis, pluribus, foetam. Odor plantae nullus; ſapor leguminoſus eſt.

Ad Ieniſeam fluuium reperit Meſſerſchmidius, in Dauria Gmelinus.

166. ASTRAGALUS villoſus, erectus, ſpicatus, floribus flauescentibus.

Caules huic ſunt recti, teretes, ſesquipedales et altiores, purpurascentes, candicantibus pilis praeſertim ſummitatem verſus obſiti, in plures ramos brachiati; folia villoſiſſima, candicantia, crebra, tres aut quatuor vel plures vncias longa, ex decem, vndecim aut duodecim pinnarum anguſtarum et acutarum valdeque piloſarum conjugationibus compoſita, vna cum impari

coſtam claudente; flores in longis pediculis ex alis foliorum egredientibus, in vnciales aut ſescunciales ſpicas compacti, parui, flauescentes, vnicolores, calycibus contenti pallidis, villoſiſſimis; fructus ſeu ſiliquae denſe congeſtae, ſemunciales, tenues admodum et anguſtae, hirſutae et incanae, in duo loculamenta congenerum inſtar diuiſae, in quibus plurima ſemina parua, fusca, reniformia.

In deſertis circa Samaram oppidum ad Volgae ripam ſitum prouenit.

167. ASTRAGALUS non ramoſus, villoſus et incanus, ſpicatus, floribus purpureo-violaceis.

E radice perenni, lignoſa, pennae olorinae craſſitie, profunde admodum terrae infixa, fusca, inferne in plura brachia diuaricata, ſuperne in aliquot capita diuiſa, plurima ſurgunt folia ſemipedalia et non raro longiora, incana et lanuginoſa, ex decem imo et quindecim pinnarum conjugationibus, coſtae communi tereti et valde lanuginoſae absque pedunculis adhaerentibus, compoſita, et impari coſtam claudente. Singulae pinnae pollicem circiter longae ſunt, vnciae trientem latae prope baſin, vnde ſenſim ſenſimque anguſtatae in acutum mucronem terminantur. In ſingulis autem radicis capitibus e centro foliorum caulis enascitur pedem plus minus longus, non ramoſus, nudus, villoſus, rectus, in breuem ſpicam deſinens florum papilionaceorum, purpureo violaceorum, calycibus contentorum tubulatis, villoſiſſimis, ſordide purpurascentibus aut incanis, ſuperius in quinque ſegmenta breuia et aequa-

aequalia diſſectis. Marcescentibus floribus ſpica admodum elongatur et ex vnciali ſemipedalis fit, ſed tanto etiam laxior; delapſis autem ſuccedunt ſiliquae oblongae, villoſae, incanae, ſemunciales inflatae, in apicem hamatum terminatae, in duo diuiſae loculamenta, quae ſemina continent plurima, parua, congeneribus ſimilia.

In Vralenſibus montibus, in excelſis Vſae fluminis ripis, paſſimque in Dauria ad Ingodam et Selengam fluuios occurrit.

168. ASTRAGALUS Tragacanthae folio, non ramoſus, floribus luteis.

Radix craſſiuscula, fusca, perennis plurima ſpargit folia palmaria, Tragacanthae foliis ſimilia, canis vndique et rigidiusculis pilis obſita, ex ſex aut ſeptem raro pluribus pinnarum conjugationibus anguſtis et acutis conſtantia, coſtae mediae tenui admodum teretique adhaerentibus. Inter haec duo vel tres ſurgunt coliculi graciles, inanes, piloſi, folia longitudine non multum excedentes et ſaepius aequantes, nudi, minime ramoſi, in ſummitate flores gerentes ſex, ſeptem aut octo, majusculos, vnciales fere, luteos, papilionaceos, in laxam ſpicam diſpoſitos, et calycibus contentos tubulatis, leniter hirſutis, quos ſubſequuntur ſiliquae oblongae, ſemunciales, latiusculae, niueo et denſiſſimo tomento penitus obductae, in duo loculamenta diſtinctae, ſemina continentia reniformia.

In Vralenſibus montibus reperit Heinzelmanus. Ad Aſtragalum Alpinum Tragacanthae folio veſicarium Inſt.

Inſt. r. h. p. 417, et H. R. Monſp. vbi figura ejusdem et deſcriptio habetur, facie externa crescendique modo proxime accedit; differt foliis et floribus amplioribus, horum colore luteo, qui in Tournefortiana planta purpurascens, et calyce non inflato.

169. ASTRAGALUS acaulos, floribus ampliſſimis, variis.

Hunc Meſſerſchmidius in Diario ſuo ſub titulo Aſtragali pumili, acaulos, floribus conglomeratis, albo-ceruleis, perennis, ſequentibus deſcribit verbis: radix ſpithamam longa, fere digitum manus craſſa, foris fusca, intus alba, recta deorſum tendens; folia a radice confertim ad coſtam naſcentia, claudente impari, lineas duas aut tres longa, vix dimidiam lata, tantisper acuta, non lanuginoſa, viridia. Flores inter folia ex coſtarum alis breui pediculo inſident, calyce tubuloſo, longiusculo praediti, ſuntque papilionacei, majusculi, vexillo prolixo albo, alis et carina apice tenus caeruleis. Piſtillum vaginula ſua fimbriata munitum, abit in ſiliquam biualuem, valuis in ſe conuolutis, velut bicapſularem, ſeminibus pluribus foetam

Ad lacum Burathis Ymmukai-Nor dictum non longe a Kurbae fluuii Oſtio in Vdam Meſſerſchmidius obſeruauit. Gmelinus ſiccum in deſertis ad Selengam et Tſchiskoi fluuios ſitis, lectum Selengia miſit. Specimen hoc ſiccum Meſſerſchmidianae deſcriptioni per omnia respondebat, quae in ea breuiter expedita ſunt. Omiſſum eſt, quod coſtae, quibus foliola ſeu pinnae, nouem aut decem in vnoquoque latere, adhaerent, duas plus

plus minus vncias longae ſint; quod flores pro plantu-lae magnitudine ampliſſimi ſint, pollicares aut ſesqui-pollicares, quod denique calyx valde hispidus ſit.

170. ASTRAGALUS repens, Barbae Iouis foliis, acaulos ferme, polyanthos.

E radice palmari, lignoſa, fuſca, recta deorſum tendenti, pennae anſerinae craſſitie, parum fibrata, cauliculi plurimi oriuntur breuiſſimi, vix vnciam longi, humi procumbentes, et radiculas hinc inde emittentes, vaginis creberrimis, membranaceis, pallidis et hirſutis penitus obtecti: ex harum vaginarum alis folia oriuntur ſescuncialia, aut biuncialia, Barbae Iouis ſimilia, ſed minora, argentea, ex quinque, ſex aut ſeptem pinnularum oblongarum conjugationibus conſtantia cum impari in coſtae extremo. Ex iisdem porro vaginarum ſinubus pediculi enascuntur numeroſiſſimi, vix vnciae quadrantem longi, nudi, tenues admodum et hirſuti, in ſummitate duos tresue flores gerentes, pro plantae magnitudine ſatis magnos, luteos, papilionaceos, quorum vexillum fere planum, in apice bifidum, alis et carina triplo ad minus majus eſt. Calyculi, in quibus flores ſuſtinentur, valde graciles ſunt, tubulati, hirſuti, ſuperne in aliquot acuta ſegmenta diſſecti. Ceterum cauliculi, folia et flores tam numeroſi ſunt, et tam denſe congeſti, vt elegantiſſimi ceſpitis ſpeciem repraeſentent.

In deſertis ad Selengam et Tſchiskoi fluuios ſitis magna copia florentem primo vere reperit Gmelinus. Ab Aſtragalo acauli, flore luteo Buxb. Cent. III. pag. 21. Tab. 38, fig. 2, differt praecipue, quod

 cauli-

cauliculos quanquam breuiſſimos habeat; quod folia Buxbaumianae plantae multo ſint longiora et ex pluribus pinnarum conjugationibus compoſita; quod deniquae flores pediculis plures ſimul innaſcantur, ſecus ac in illa Buxbaumii, vbi flores, ſi figurae credimus, ſingulares ex ipſa radice oriri videntur. An autem haec ſupra deſcripta ſpecies eadem ſit cum Aſtragalo acauli ferme, flore luteo Inſt. r. h. Coroll. pag. 28, propter deſcriptionis Tournefortianae defectum determinare nequeo.

171. ASTRAGALUS Kirgiſicus montanus, flore in capitulis ad foliorum alas cylindricis, hirſutis, luteo, odoratus Meſſerſchm.

Ad Yſs fluuium menſe Auguſto inuenit Auctor.

172. VIOLA folio Bellidis, flore rubello vel pallide purpureo Meſſerſchm.

Occurrit ad Kutul Nor vel lacum non longe ab Vda fluuio menſe Majo.

173. FUMARIA tenuifolia, floribus luteis. Tab. XX.

Radix extus flaueſcens, intus luteſcens, carnoſa, oblonga, in duo plerumque interdum etiam in plura capita diuiſa, paucis fibris ſtipata, guſtu amara, multos promit caules, dilute virides, quinquangulares, quo-

quorum plurimi folia ſuſtinent Fumariae vulgaris foliorum inſtar diuiſa, paulo latiora tamen, non glauca, ſed vtrinque laete viridia. Vnus caulis e medio dictorum ſurgit cubitalis aut ſesquicubitalis, craſſus, quinquangularis pariter, qui antequam ſummum attingit tria vel quatuor paria foliorum, qualia ad radicem ſunt, emittit, non tamen oppoſito ad caulem ſitu, ſed ex eodem ejus latere. Ex alis ſuperiorum ramulorum vnus et alter flos flauus, duobus petalis a, b, membrana c, duabus valuis conſtante et albente diſtinctis, conflatus prodit. Singulis autem floribus ſubeſt foliolum purpureum, tribus plerumque crenis inciſum. Florem capſula Fumariae vulgaris ſequitur. Ad Ingodam ſub initium Iunii menſis florentem inuenit Gmel.

174. DELPHINIUM perenne, Aconiti folio ampliori, floribus longioribus pediculis inſidentibus, minus villoſum.

Elegantiſſimam hanc plantam primus in regionibus juxta Vralenſes montes et ad Iaicum flumen ſitis, reperit Heinzelmanus. A Delphinio perenni montano, villoſo, Aconiti folio Inſt. r. h. p. 426. differt foliis amplioribus, minus profunde laciniatis, minusque hirſutis; caulibus multo elatioribus, validioribus, glabris; floribus majoribus, minus villoſis, elegantiſſime azureis, vncialibus aut ſescuncialibus pediculis inſidentibus, copioſioribus, in multo longiorem et denſiorem ſpicam congeſtis. Ex vlteriori Sibiria Gmelinus quoque miſit. A Delphinio Luſitanico glabro, Aconiti folio Inſt. r. h. et Icon. Roberti et Chaſtillon. diuer-

ſum quoque eſt. An autem eadem ſit planta cum Delphinio Orientali, perenni, Aconiti folio, flore caeruleo, Inſt. r. h. Coroll. mihi non ſatis conſtat.

175. DELPHINIUM elatius, ſubincanum, perenne, floribus amplis, azureis.

Hoc Gmelinus per omnem deſertorum tractum in regionibus transbaikalenſibus et ad Chilock fluuium menſe Auguſto flores proferens obſeruauit. Caules habet teretes, non raro bicubitales, notante Gmelino, parum ramoſos, canos et leuiter hirſutos, foliis veſtitos ſescuncialibus pediculis inſidentibus, in latiora quam vulgaris Delphinii ſegmenta ad pediculum vsque diuiſa, ſuperne laete viridia, inferne ſubincana et hirſuta. Ex alis ſuperiorum foliorum, quae breuioribus multo pediculis inſident, tam caulis ipſius quam ramorum pediculi enaſcuntur, duas plus minus vncias longi, flores in ſummitate gerentes vtplurimum ſingulares, aliquando et binos, ampliſſimos, ſpecioſiſſimos, pulcherrime azureos, calcari pollicem transuerſum longo, craſſo et villoſo praeditos.

176. CALCEOLUS purpureus, ſpecioſus Gmel. Tab. XXI.

Radice, forma et diſpoſitione foliorum cum Calceolo vulgari conuenit; floris vero colore et magnitudine differt, quae in hoc dimidio major eſt. Petalum floris, calopodium referens, purpurei coloris, ad oras hiatus album eſt. Calyx purpureus quatuor foliis in crucem diſpoſitis conſtans, florem amplectitur. E

fundo

fundo floris piſtillum ſurgit, quod ſuperius in duas anſulas a b T. XXI. horizontaliter ſibi incumbentes nec tam pro-funde, vti in Calceolo vulgari, carinatas excreſcit. Anſula ſuperior major eſt inferiori, purpurea; inferior plurimam partem alba eſt et ad latera vtrinque emi-nentia quadam c c luteſcenti, globoſa ſtipatur. In-ferior piſtilli pars in fructum abit, folio d iis, quae caulem inueſtiunt analogo, minori tantum, inuolutum. Inueni exemplar B vbi duo calycis foliola ſuperius et inferius ex albo variegata erant, eſſe vero prioris va-rietatem tantum agnoui. Laete florebat menſe Iunio ad Irtis fluuii litus orientale ſupra pagum Tataricum Te-bendrinsk in ſylua Betularum. Fructum maturum non vidi. Gmel.

Eundem Meſſerſchmidius ſic denominauit: Cal-ceolus Cuculi ſeu Marianus et Crepida ſacerdotis flore majore, vnico, purpureo, ſacculo ſtrictiori, introrſum reflexo et fimbriato, radice minus repente, fibroſa. Forte etiam idem eſt cum Calceolo flore majore Inſt. r. h. 437. Circa Tobolsky caput Sibiriae Meſſerſchm. obſeruauit.

177. CALCEOLUS minor, flore vario Gmel. Tab. XXII.

De hoc iterum Gmelinus: ſuperius quatuor ca-lycis foliolorum flori tanquam galea incumbit, eſtque latius reliquis et in extremitate acuminatum, interna ſu-perficie plurimam partem rubrum, inferius tantum albo colore fimbriatum, externa ſuperficie album et ad oras rubris punctis notatum; duo lateralia ejusdem fere tri-

angularia ſunt, obtuſo fine terminata, albo et rubro colore varia; inferius denique non raro bifidum, viride rubrisque punctulis asperſum eſt. Flos calopodium refert, externa ſuperficie rubet, inferne e rubro et albo variegatus eſt, intra hiatum vero e rubro albidus. Piſtillum ſuperius in duas anſulas a, b, T. XXII. excrescit, quarum ſuperior carinata et flaua eſt, ad oras rubris punctis notata, inferius alba, linguae figuram obtinens; inferiori porro duo ad latera adnascuntur corpuscula cuspidata c, c, alba, quorum vtrique eminentia quaedam pene globoſa d, d, ſubeſt. Piſtilli inferior pars in fructum abit, qui foliolo viridi oblongo inuoluitur. Tota planta vix ſpithamam longa eſt; nec folia vnquam duobus plura caulem veſtiunt. Colore purpureo et pallide luteo variatur. Iisdem in locis, quibus prior nascitur, quin et ſupra et infra eosdem copioſiſſime.

Meſſerſchmidio, qui eundem reperit prope Tobolsky vrbem, dicitur: Calceolus flore minore vnico, albo, maculis purpureis notato, ſacculo parum vel non reflexo, radice longius repente, fibroſa. An idem ſit qui Calceolus Marianus Canadenſis Corn. Hiſt. vt Gmelinus exiſtimat, nec affimare nec negare poſſum; deſcriptio Cornuti tam manca eſt, vt ex ea nihil certi determinari poſſit; figura minus conuenit.

178. IACEA Salicis folio, ſubtus lanuginoſo et incano, Serratulae capitulis.

Speci-

Specimina hujus ſicca apud Baskiros Tataros ab Heinzelmano lecta caules habebant pedales aut ſesquipedales, molli et incana lanugine inferius imprimis pubescentes, rectos, angulatos, foliis veſtitos ſalignis ſimilibus, tres aut quatuor vncias longis, dimidiam, in aliis vix tertiam pollicis partem latis, vtrinque acutis, in ambitu integris minime dentatis aut ſerratis, ſuperne viridibus et asperis, ſi digitis ſurſum vel deorſum terantur, inferne tomentoſis et incanis, pediculis omnino deſtitutis. Hi caules extremum verſus diuaricabantur in plures ramulos laterales, hique iterum in quamplurimos pediculos longos, angulatos, glabros, quorum ſinguli vnicum capitulum ſuſtinebant, Serratulae ſimile, conicum, purpureo-violaceum, ex flosculis compoſitum vniformibus, ſuaue rubentibus, ſingulis embryoni inſidentibus angulato, qui deinde ſemen fit pappo albiſſimo, rigidiusculo coronatum. Folia et ſemina inſigni amarore, nec tamen ingrato, praedita erant.

179. IACEA ramoſiſſima, incana, Linariae foliis.

Caulibus aſſurgit rectis, validis, lanuginoſis, angulatis, bipedalibus, in innumeros fere ramulos brachiatis, foliis ornatis creberrimis, vncialibus aut ſescuncialibus, ad Linariae folia quodammodo accedentibus, vix lineam vnam aut alteram latis, vtrinque acutis; ſine vllis pediculis cauli et ramulis adhaerentibus, asperis, hirſutis et ſubincanis. Flores in ſummo caule ſummisque ramulis nascuntur, vt plurimum ſingulares, et flosculis paruis, gracilibus, vniformibus, pallidis compoſiti calyce contentis ouato, ſemunciam longo, vtrinque angus-

anguſto, ex ſquamulis flauescentibus, acutiſſimis, leuiter ſplendentibus, in baſi glabris et parum virentibus, in apice ad oras piloſis, conſtante. Floſculis ſingulis ſuccedunt ſemina vt in congeneribus, pallida, oblonga, rigidiusculo pappo inſtructa. Ex Sibiria Gmelinus miſit.

180. IACEA nemoroſa, montana, folio integro, carnoſo, rigido, floribus purpureis Meſſerſchm.

Radice eſt tenui, recta deorſum tendente, parum fibroſa, foris ſusca, intus candida et lignoſa fere; caule ſimplici, recto, propemodum bipedali, tereti, leuiter ſtriato, viridi, non omnino inani; foliis a radice infimis longo plerumque petiolo inſtar foliorum ſucciſae fultis, vtrinque acutis, ambitu integris, craſſis, carnoſis, ſubrigidis, Lauri ſimilibus, ſed pallidioribus, glabris, ſubtus magis pallentibus, craſſe venoſis; ramulis ad foliorum alas breuiusculis, cauli ſimilibus, iterum iterumque diuaricatis, in quorum ſummo flores ſaepe plures floſculoſi, plurimis ſcilicet floſculis quinqueſidis, purpureis, in ſegmenta aequalia diuiſis, embryoni inſidentibus et calyce cylindrico, ſquamoſo, non aculeato, purpurascente, comprehenſis; embryone abeunte in ſemen oblongum, anguloſum, fuscum, pappis inſtructum et thalamo, ſetis albis hirſuto, inſidentibus. Foliorum ſapor amariſſimus eſt non diſſimilis Gentianae. Forte eadem eſt quae Iacea Alpina ſucciſae folio Inſt. r. h. p. 445.

181. SERRATULA foliis laciniatis, capitibus magnis, lanuginoſis.

Toto

Toto habitu crescendique modo cum Serratula vulgari Ioan. Bauhini conuenit; differt autem foliis laetius virentibus, tenuioribus; caulibus validioribus, in plures et longiores ramos brachiatis; capitibus quadruplo majoribus, calycis ſquamis inferioribus canescentibus aut fulua lanugine obſitis. In Sibiria ſponte prouenit.

182. CIRSIUM caule criſpo, foliis laciniatis, ſubtus tomentoſis.

E radice rubenti, pennae anſerinae craſſitie, admodum fibrata, caulis ſurgit duos cum dimidio pedes altus, angulatus, criſpus et ſpinoſus ad inſtar Cardui caule criſpo I. B. foliis veſtitus ad ſeſcuncialia praeter propter intervalla, quatuor aut quinque pollices longis, ſeſcuncialibus pediculis inſidentibus, ſuperne viridibus et hirtis, inferne candidiſſimo tomento obſitis, duos in medio transuerſos pollices latis, vtrinque anguſtatis, in plures lacinias dentatas et in ambitu acutiſſimis ſpinulis armatas, diuiſis. Priores harum laciniarum, quae ſcilicet prope exortum foliorum conſpiciuntur, ad neruum vſque medium, ſuperiores minus profunde ſectae ſunt. Folia quo altius cauli adnascuntur, eo ſenſim fiunt minora, minus profunde et tandem prorſus non laciniata, ſed e contra in ambitu magis ſpinoſa. Ex horum ſuperiorum alis pediculi oriuntur ſemunciales aut longiores, tomentoſi, flores gerentes flosculoſos, purpureos, modo ſingulares, modo binos aut ternos, vix vnciam dimidiam longos. Calyx ex anguſtiſſimis et acutiſſimis, purpurascentibus et lanuginoſis ſquamulis denſe ſibi inuicem ſuperincumbentibus conſtat. Extre-

mum caulis terminat flos reliquis ſimilis ſed major. Reperi in Ingria prope Duderhoff.

183. CIRSIUM elatius, polycephalon, glabrum, foliis imis laciniatis, ſuperioribus integris.

Ad humanam altitudinem non raro in laetiori ſolo aſſurgit. Caulis prope radicem digitum minorem craſſus, angulatus, glaber, ima parte foliis inſtructus ſemipedalibus, duas aut tres vncias latis, nullis omnino pediculis inſidentibus, in lacinias aliquot minus profundas diſſectis, ad oras ſpinoſis, vtrinque atro-viridibus, omnino glabris, breui a radice interuallo in quamplurimos ramos diuaricatur ſesquipedales aut tripedales, foliis veſtitos integris, alternis, oblongis, praecedentibus multo minoribus, hinc inde ad marginem ſpinulis armatis, ſeſſilibus. Ex alis horum foliorum alii nascuntur ramuli quamplurimi, ramis ipſis per omnia ſimiles. In caulis vero, ramorum ramulorumque ſummitatibus capitula oriuntur pro plantae magnitudine parua, modo ſingularia, modo bina, ex floſculis embryoni inſidentibus purpureis in aequalia ſegmenta diſſectis, et calyce ſquamoſo nigricante compoſita. Embryones in ſemina excrescunt parua, oblonga, paulum compreſſa, dilute fusca, pappo pallido longiſſimo et molliſſimo praedita. In Ingria et Carelia paſſim prouenit.

184. CIRSIUM polycephalon, tomentoſum et incanum, foliis longioribus, anguſtis, vndulatis.

Caulis parti ſuperiori, inferiorem enim non vidimus, ſtriatae, incanae et tomentoſae folia alterno ordine

ordine adnaſcebantur ad vncialia plus minus interualla, tres aut quatuor transverſos pollices longa, vnciam circiter lata, ſeſſilia, vtrinque anguſtata, tam inferne quam ſuperne candidiſſimo tomento obſita, in margine vndulata, vno vel altero hinc inde dente in aculeum abeunti, modo magno, modo vix conſpicuo donata. Ex alis ſingulorum horum foliorum ramuli oriebantur, itidem tomentoſi et incani, dimidium fere pedem longi, tenues, ſimilibus cum ſupra dictis foliis, minoribus tamen, et vix vndulatis veſtiti. Verſus ſummitatem tam caulis ipſius quam ramulorum e foliorum ſinubus capitula egrediebantur parua, nigricantia, ſubrotunda, breuiſſimis pediculis lanuginoſis inſidentia.

185. CIRSIUM polycephalum, tomentoſum et incanum, foliis breuioribus, laciniatis.

A praecedenti differt foliis breuioribus et latioribus, in caule et ramulis in tres aut quatuor lacinias diſſectis. Habitu autem externo, canitie et creſcendi modo cum illo conuenit. Ambas has plantas Gmelinus ex Sibiria miſit.

186. CIRSIUM Salicis folio ſubtus tomentoſo.

Caules habet rectos, purpuraſcentes, ſulcatos, ſparſa hinc inde albicante lanugine obſitos; ſummitatem verſus in plurimos ramos brachiatos, quibus adnaſcuntur folia biuncialia aut triuncialia, ſeſſilia, integra, vtrinque acuta, in medio pollicem plus minus lata, in mucronem acutiſſimum terminata, ad oras creberrimis ſpinulis flaueſcentibus armata, ſuperne viridia, to-

mento ſubtiliſſimo et rariſſimo praedita, inferne lanuginoſa et incana. Folia autem quae circa radicem naſcuntur, modo deſcriptis longiora ſunt latioraque, ſubinde in aliquot lacinias minus profunde diſſecta. E ſuperiorum alis, tam caulium quam ramorum pediculi oriuntur incani et lanuginoſi, vnciales aut ſeſcunciales, ſinguli capitula gerentes ſubrotunda, nucis auellanae magnitudine, purpuraſcentia, floſculos continentia admodum breues, purpureos. In deſerto Nagaico ſponte prouenit.

187. CIRSIUM procerum, folio profunde ſerrato, vtrinque virente, Iaceae capitulis minoribus, fibroſa radice Meſſerſchm.

188. CNICUS acaulos, polyanthos, purpureus, Aſphodeli radice, eſculenta Meſſerſchm. Tataris Ibſchijek dicitur. In vliginoſis ad Vybath fluuium copioſe naſcitur.

189. CONYZA Cichorii et Perſicae foliis, purpuraſcente flore Gmel.

Caule ſurgit pedali et cubitali, robuſto, viridi, ſtriato, foliis alternis, figura interdum Cichorii interdum Perſicae folia referentibus, conſiſtentia et colore Cichoraceis ſimillimis ſtipato, qui ſuperius in multos ramos diuaricatur, quorum omnes in ſummitate plures flores in vmbella portant, floſculoſos. Floſculi ſingulatim ſpectati in quinque partes ſecti ſunt. Semina oblonga, pappoſa. Calyx ſquamoſus cylindricus fere, ſquamis oblongis ejusdem vbique conſiſtentiae, anguſtis, pal-

pallide viridibus, ad oras albentibus et extremitate ſuperiori perparum extantibus conflatus. Ad lacum ſalſum deſertorum Ononienſium ſub initium Auguſti menſis floret et ſemina fert. Gmel.

190. CONYZA tomentoſa et incana, floribus luteis, vmbellatis, Echii ſcorpioidis folio.

Caulibus ſurgit pedalibus aut ſesquipedalibus, tenuibus, teretibus, alba lanugine obſitis, foliis praeditis alternis creberrimis, ſeſſilibus, integris non dentatis, tam ſuperne quam inferne tomentoſis et incanis, vtrinque anguſtatis, ad Echii ſcorpioidis folia quodammodo accedentibus, vnciam longis, in medio pollicis trientem latis, in obtuſum vtplurimum apicem terminatis. E ſuperiorum foliorum alis multi oriuntur ramuli, graciles admodum, pluribus minutiſſimis incanis foliolis ornati, e quorum iterum alis quamplurimi pediculi enascuntur ſemunciales, tomentoſi, ſinguli florem gerentes majusculum, flosculoſum, luteum, calyce contentum ſquamoſo, oblongo, glabro, flauescenti. Ceterum folia tam crebra ſunt in caulibus, vt eos penitus fere obtegant. Flores in vmbellam disponuntur. E deſertis Nagaicis prope Iaicum fluuium, et ex locis incultis circa Samaram oppidum ad Volgam flumen ſitis attulit Heinzelmanus.

191. CONYZA humilior, glabra, Linariae foliis, floribus luteis vmbellatis.

Praecedenti multo humilior eſt, foliis anguſtis, rarioribus, lineam circiter latis, vnciam cum dimidia

 longis,

longis, viridibus, glabris, Linariae vulgaris foliis ſimilibus; floribus eodem modo in vmbellam diſpoſitis, ejusdemque ſtructurae et coloris, ſed minoribus.

192. CONYZA Lini foliis aſperis, rigidis et neruoſis, floribus luteis, vmbellatis.

Caulibus teretibus, hirtis, leuiter ſtriatis, rectis, non ramoſis folia adnaſcuntur numeroſiſſima, Lini ſatiui foliis ſimilia, partim alterna, partim nullo ordine poſita, caulem fere obtegentia, ſeſcunciam longa, anguſta, acuta, aſpera, rigida, ſeſſilia, tribus neruis rectis auerſa praecipue parte conſpicuis, et totam eorum longitudinem percurrentibus inſignita. Extremum caulium terminatur in vmbellam rigidam florum luteorum, calycibus comprehenſorum breui et ſquamoſo. Ex Sibiria miſit Gmelinus.

193. ABSINTHIUM Tanaceti folio, odoratiſſimum Gmel. Tab. XXIII.

E radice non profunde in terra fixa, ex innumerabilium fibrarum complexu formata, caulis digitum minorem craſſus, ſecundum longitudinem ſtriatus, viridis ad hominis fere altitudinem ſurgit, qui mox a radice alternatim et per breuia interualla ad ſummum vsque foliis ſtipatur vtrinque laete viridibus, Tanaceti modo inciſis, e quorum alis rami ſurgunt, inferius ſesquicubitales aut cubitales, ſuperius pedales aut dodrantales, foliis ejusdem formae ſed minoribus veſtiti, angulum ſemirecto minorem cum caule efficientes, in ramulos foliolis minimis ornatos ſubdiuiſi. Per totam fere

fere longitudinem ramulorum et in ſummo eorum ſpicae floriferae egrediuntur, corymbos minores, haemisphaericos, lutescentes, breuibus petiolis appenſos ſuſtinentes. Singulis autem corymbis foliolum ſubeſt paruum, ter vel pluries inciſum, prout ſuperiorem vel inferiorem ſpicarum locum tenent, ſuperiora enim fere integra ſunt. Odor plantae ſuauiſſimus et fragrantiſſimus eſt.

Occurrit in montoſis Selengae, Udae, Schilkae et Nertſchae fluuiorum et ſub initium Auguſti menſis floret. Udinii et Selengiae incolis Лапасникъ dicitur. Figura vnum e ſummis ramis ſiſtit. Gmel.

Nullus dubito quin hoc idem ſit cum Abrotano Tanaceti folio viridi et odore, ramoſiſſimo Messerſchm; forte etiam cum Abſinthio Tanaceti folio Lauendulae fere odore Ejusd: qui ambas hasce plantas circa Dalai lacum Mogulis dictum obſeruauit.

194. ABSINTHIUM Pimpinellae folio Gmel.

Caulis eſt bicubitalis e violaceo rubens; folia Pimpinellae pallida, alternatim poſita; corymbi majores, flauescentes, in pediculis ſingularibus e foliorum alis exeuntibus, in ſpicam longam diſpoſiti. Odor plantae nullus; ſapor leuiter aromaticus. In montoſis Vdinii vrbis medio Auguſti menſis florentem inueni. Gmel.

Notandum folia Pimpinellae hic non intelligi ſanguiſorbae, ſed ſaxifrage ſeu Tragoſelini folia et quidem Tragoſelini alterius majoris Inſt. r. h. 309, ad quae haec quodammodo accedunt. Sunt autem quatuor aut quinque vncias longa in ſuperiore caulis parte, infe-

riora

riora in ſpecimine ſicco quod Gmelinus miſit deſunt, ad ſescuncialia plus minus interualla cauli adhaerentia, in plures lacinias profunde et argute dentatas fere ad neruum vsque medium, qui alatus eſt, diſſecta, ſubtus molli et ſparſa lanugine obducta; ſingulae laciniae vnciа modo longiores modo breuiores ſunt, oblongae, in apicem vtplurimum trifidum terminatae. Pediculi floriferi dimidium pedem longi ſunt; flores globoſi, admodum laxe per interualla diſpoſiti.

195. ABSINTHIUM humile, Peucedani folio, corymbis aureis.

Caules habet pedales, valde tenues, glabros, pallidos, leuiter ſtriatos; folia pauca ad biuncialia interualla diſpoſita, viridia, glabra, in plura ſegmenta rigidiuscula, capillacea, Peucedani adinſtar diſſecta, quorum ea, quae prope radicem naſcuntur, reliquis caulibus adhaerentibus multo minora ſunt et rigidiora, ſescunciam circiter longa, illa vero non raro longitudinem trium pollicum ſuperant; flores in extremis caulibus, nec non in pediculis pollicaribus ex ſuperiorum foliorum alis egredientibus, aureos, ſubrotundos, ſatis amplos, ſpicatos, ejusdem omnino cum congeneribus ſtructurae; radicem, Gmelino notante, fuſcam, craſſiusculam, e multis quaſi fibris textam, profunde in terram demiſſam.

Copioſe floret in montoſis Nertſchae et Arguni fluuiorum Iunio Iulioque menſibus.

196. ABSINTHIUM Scandicis folio, non ramoſum.

Caule ſurgit ſesquipedali, admodum tenui, leuiter ſtriato, purpurascenti, glabro, cui prope radicem adnascuntur folia triuncialia, Scandicis foliorum adinſtar in minutiſſima ſegmenta diuiſa, atrouirentia, rigidiuscula. A medio autem caulis ad ſummitatem vsque folia aliam plane obtinent ſtructuram; ſunt enim angustiſſima, vix dentata et dimidium pollicem raro ſuperantia: e quorum alis flores exeunt globoſi, pallide flauescentes, modo ſingulares, modo duo, tres aut quatuor ſimul communi pediculo inſidentes. Circa Vdinskoy vrbem reperit Gmelinus.

197. ABSINTHIUM capillaceis foliis, flosculis aureis denſiſſime congeſtis.

Radix dura, craſſiuscula, plurimas quaquauerſum fibras albicantes ſpargens; caulis dilute viridis, glaber, tenuis, pedalis, mox a radice in ramos aliquot cauli ipſi per omnia ſimiles, ſed minores, diuiſus; folia crebra, prorſus capillacea, glabra, viridia, in quinque vtplurimum ſegmenta tenuiſſima, ſescuncialia, ſetae equinae craſſitie diſſecta; flores parui, aurei, ad alas foliorum modo in capitula ſubrotunda, piſi magnitudine, conglobati, modo in breues ſpicas, ſemuncialibus pediculis ſuſtentatas congeſti. Caulis et rami ab imo ſere ad ſummum vsque iſtiusmodi floribus praediti ſunt, deſinuntque ſemper in ſpicam oblongam ex ſimilibus floribus denſiſſime compactam; calyculi ſquamoſi, ſplen-

dentes, fere diaphani. Tota planta omnis odoris expers eſt. Iisdem locis, quibus praecedens inuenitur.

198. ABSINTHIUM incanum, caule craſſo, foliis quam in Pontico tenujoribus, ſemine ſpadiçeo Meſſerſchm.

199. ABSINTHIUM perenne, pumilum, argenteum, folio tenuiter diſſecto, breui, ad caulem appreſſo, ſuaue odoro, an Abſinthium Alpinum candidum, humile C. B. Prodr. 71? Meſſerſchm.

In deſertis inter Dalai et Daſchimack lacus Mogulis dictos in Dauria naſcitur.

200. ABSINTHIUM inſipidum, foliis ſingularibus anguſtis, piloſum Gmel.

E radice tenera, paucas fibras emittente, caulis tenuis, nullos ramos ſpargens, piloſus ſurgit, aliquot vncias ab exortu folia emittens anguſtiſſima et breuiſſima, piloſa, vel alterno vel nullo ordine poſita, qualia et per totam ejus longitudinem conſpiciuntur ad faſtigium vsque. In aliis vero foliorum hemisphaericae quaedam eminentiae ſeſſiles ſunt, nullo pediculo fultae, florum forte rudimenta. Altitudo plantae cubitalis eſt. In deſertis Scheleſienſe et Vſtkameno Gorenſe fortalitium interjacentibus vbique copioſe prouenit. Gmel.

201. ABROTANUM procerum, tenuiſſimo Lini folio, floſculis exiguis, vix Sinapi ſemen ſuperantibus, luteis, inodorum Meſſerſchm.

202. AB-

202. ABROTANUM procerum, Lini folio tenui, floſculis majoribus, inodorum Ejusd.

203. ABROTANUM pumilum, folio tenuiſſime laciniato, floſculis majoribus, odore Tanaceti valido Ejusd.

Haſce tres Abrotani ſpecies Meſſerſchmidius prope Dalai lacum in Dauria reperit.

204. ARTEMISIA foliis Cornu Cerui diuiſura laciniatis, rubra, Daurica Meſſerſchm.

Occurrit ad Tunguska fluuium in Dauria.

205. TANACETUM foliis vulgaris Tanaceti minoribus et tenuioribus, grati odoris Gmel.

In hominis excreſcit altitudinem, caulibus ſurgens calamum ſcriptorium craſſitie ſuperantibus, ſtriatis, inferne viridibus, ſuperne purpurascentibus, qui foliis veſtiti ſunt vtrinque viridibus, Tanaceti vulgaris minoribus et tenuius inciſis, corymbos Tanaceti vulgaris minores circa ſummitatem in vmbella gerentes. Floſculi et ſemen vt in Tanaceto vulgari, odore tamen fragrantiori et ſuauiori. In montoſis Argunienſis munimenti et Vdinii vrbis ſub finem Iulii menſis floret, et ſub finem Auguſti ſemina perficit. Ruthenis ibidem degentibus Девеппильникъ dicitur.

Semina, quae Gmelinus ex Dauria miſit, primo a ſatu anno in plantas excreuerunt huic deſcriptioni exacte reſpondentes. Iuxta vulgare Tanacetum illas plantaui, vt eo melius notas, quibus inter ſe duae hae

plantae diſtinguuntur, examinare poſſem. Iam per biennium easdem notas conſeruauerunt. Nullum ergo dubium eſt, quin diuerſa ſit a vulgari ſpecies.

206. BIDENS Daurica, ſaxatilis, foliis Apii vel Cicutae magis, flore luteo, nudo, ſemine Scandicis inſtar longiſſimo, odorato; an Scandix vmbella ex apicibus coagmentata C. B. Pin. 152? Meſſerſchm.

Prope Dalai lacum in Dauria occurrit.

207. ECHINOPUS vulgaris, major, latiore folio inciſo, parum aculeato, ſubtus incano, floribus in capitulo globoſo inermi, caeruleis Meſſerſchm.

208. HIERACIUM folio caulem amplexante, oblongo, integro, piloſo.

Cauliculi huic ſunt graciles admodum, teretes, purpurascentes, piloſi, foliis ad breuiſſima interualla veſtiti, vnciam longis, dimidiam latis, integris, baſi lata et cordiformi Perfoliatae adinſtar eos amplexantibus, valde ad marginem et in vtraque ſuperficie piloſis, ſuperne laete viridibus, inferne cinereis, in acutum apicem deſinentibus. Cauliculorum ſummitates in pedicuIos ſemunciales terminantur, quorum ſinguli florem ſus-

tinent aureum, congeneribus ſimilem, calyce contentum ex ſquamis anguſtis nigricantibus compoſito.

209. HIERACIUM folio caulem amplexante ſubrotundo, dentato, glabro.

Craſſiores et altiores praecedenti caules habet; folia crebra, ſubrotunda, ſeſcunciam longa, pollicem lata, dentata, glabra, caules lata baſi arcte amplectentia; flores in ſummis caulibus quaſi in umbellam diſpoſitos, luteos, maiuſculos, ſemuncialibus aut pollicaribus pediculis ſuſtentatos.

Omnino duae hae ſpecies differunt ab Hieracio Pyrenaico rotundifolio, amplexicauli et Hieracio Pyrenaico longifolio, amplexicauli Inſt. r. h. 472, quae plane alium habitum et faciem obtinent. Prior ab Heinzelmano in Baskirorum regione obſeruata eſt, poſterior ad Ononem fluuium in Dauria a Gmelino. Differt et haec poſterior ab Hieracio recto, glabro, foliis lata et velut auriculata baſi caulem amplexis, floribus paucis Ray Hiſt. plant. Tom. 3. p. 144. n. 72, vt deſcriptiones comparanti facile patebit.

210. HIERACIUM aphyllocaulon, hirſutum, floribus ſpicatis.

Folia circa radicem naſcuntur plurima, ſemipedalia, ex anguſta valde baſi ſenſim dilatata, iterumque extremum verſus contracta et in obtuſum apicem deſinentia, in medio vbi latiſſima ſeſcunciam aut duos pollices lata, in vtraque ſuperficie hirſuta, viridia. Inter haec e radice vnus et alter cauliculus ſurgit, nudus

rectus, non ramoſus, ſtriatus, parum hirſutus; e cu-jus lateribus ſummitatem verſus pediculi alterno ordine oriuntur pollicares, modo ſingulares modo bini aut ter-ni ab vno exortu, quorum ſinguli in apice florem ge-runt luteum minorem, ex ſemifloſculis congenerum in modum conſtantem.

In ripis fluminis Iaick prouenit.

211. LACTUCA Salicis folio, flore caeruleo Gmel.

Radice oblonga, tenui, perparum fibroſa niti-tur caulis plus quam cubitalis, firmus, ex violaceo rubens, praecipue ſuperius, foliis palmum longis, utrinque pulchre viridibus, anguſtis, neruo inſigni in medio praeditis, nec dentatis nec crenatis, alternatim ſtipatus, circa duas tertias altitudinis partes ramos emittit, et in his flores, quales etiam extremum cau-lis vmbellatim ornant. Flos amoene caeruleus, minor, ſemifloſculoſus, calyce cylindriformi ſquamoſo contentus.

In campis Vrulengui et Kurkiram amnem inter-jacentibus ſub initium Auguſti menſis florebat Gmel.

212. LACTUCA Salicis folio ſerrato, flore cae-ruleo.

Folia, quae caulibus adhaerent, dimidium fere pedem longa ſunt, vtrinque anguſtata, in medio ſeſ-cunciam lata, in acutiſſimum et tenuiſſimum mucronem terminata, ad oras argute dentata aut potius ſpinulis breuiſſimis armata, ſuperficie vtraque glabra et laete viridia. Flores iu ſummis caulibus et ramulis lateralibus

ex

ex foliorum alis egredientibus ampliſſimi, caerulei ſemiflosculoſi, calyce ſemunciali, purpurascente comprehenſi. Differt ergo a praecedenti foliis longioribus, anguſtioribus in ambitu ſerratis; floribus et calycibus amplioribus; caulibus in longiores et magis diffuſos ramos brachiatis. Prope Iaicum flumen infra Oropolim prouenit.

213. SCORZONERA Alpina, gramineo folio, anguſto, flore luteo, humilior Meſſerſchm.

Radice eſt perpendiculariter deorſum vergente, craſſiuscula, ad Petroſelini radicem accedente, foris obscure fusca, intus alba, ſuccum lacteum vbertim ſtillante, ſubamara: foliis mox a radice vaginali complexu ſurgentibus pluribus, prorſus gramineis, oblongis et anguſtis, ſed craſſiusculis paulo: caule inter folia modo ſimplici, modo pluribus, vix ſpithamam longo, ſaepe humiliore, tereti, viridiusculo, leuiter fiſtuloſo, lacteique ſucci pleno, foliolis vix transuerſo pollice longioribus per ſpatioſa interualla ſigillatim alternantibus, ſitu ad caulem parallelo ſurſum rigentibus, prorſus tenuibus veſtito: flore in cujusuis caulis vertice ſingulari, pallide luteo, ſemifloſculoſo, pollicis diametro, ſemiflosculis embryoni inſidentibus, apice tenus latiusculis, aliquoties tenuiter crenatis, ab auerſa parte ſtriis puniceis inſignitis, calyce comprehenſis oblongo, ſquamoſo, ſquamis inferne latiusculis, ſuperne cuspidatis, viridibus, ad oras pallentibus, glabris: ſemine pappis inſtructo, pappis pedunculo carentibus. Meſſerſchm.

Ad

Ad Vdam fluuium et alibi in Dauria, praeſertim in petra a Buratis Dſſurgudſu vocata inter Vdam fluuium et Anam menſe Majo. Ruthenis ibi degentibus Wolzi Koren dicitur.

214. ASTER acaulos, hirſutus, caeruleus, Bellidis foliis.

E radice craſſiuscula, fibroſa, plurima oriuntur folia tenuibus ſescuncialibus pediculis inſidentia, hirſuta, viridia, vnciam plus minus longa, vtrinque anguſtata, in medio dimidium pollicem lata, trineruia. Inter haec e radice ſurgit pediculus ſatis craſſus, hirſutus, nudus, rectus, ſeſcuncialis, ſimplex, florem in ſummitate gerens vnicum, pro plantae magnitudine ampliſſimum, ſesquipollicem fere latum, radiatum, cujus discus ex plurimis flosculis luteis, corona vero ex ſemiflosculis ſterilibus, dimidiam ferme vnciam longis, caeruleis componitur. Semina pappoſa ſunt, vt in congeneribus. In cacumine montis Kirgutan Heinzelmanus legit.

215. ASTER acaulos, albus, foliis gramineis.

Radix fusca, lignoſa, minoris calami ſcriptorii craſſitie, profunde in terram defixa, ſuperne in plura capita diuiſa, relictis emarcidorum foliorum neruis fibrisque penitus cooperta. Folia ex ſingulis radicis capitibus oriuntur vncialia, laete viridia, glabra, vix dimidiam

midiam lineae partem lata; ad oras tenuiſſime ſerrata, rigidiuscula, inter quae pediculus enaſcitur ſemipollica-ris, tomentoſus, flore in ſummitate onuſtus vnico, pro plantulae magnitudine ampliſſimo, radiato, ex flos-culis in disco pallide flauescentibus embryonibusque pap-poſis inſidentibus, et ſemifloſculis albis, longis et angus-tis, coronam efficientibus, compoſitum. Tota planta longitudinem duarum vnciarum vix transcendit.

Copioſe crescit in omnibus Selengae, Vdae, Ononis et Arguni fluuiorum adjacentibus deſertis.

216. ASTER pumilus, anguſto Linariae folio, flori-bus magnis, caeruleis.

Cauliculus huic tenuis, viridis, pubescens, mox vnciali a radice diſtantia in quamplurimos ramulos bi-unciales aut triunciales diuaricatus, quibus nullo ordine adnascuntur foliola, vnciam plus minus longa, crebra, lineam praeter propter lata, integra, viridia, glabra. Singulis hisce ramulis ſummo cauli innaſcuntur flores ſingulares, ampli, quorum corona ex ſemifloſculis azu-reis, anguſtis, vnciam longis, discus vero ex floſculis regularibus, luteis, embryonibus inſidentibus, rubenti pap-po inſtructis, componitur. Integra planta quinque aut ſex pollices raro ſuperat. Iisdem quibus praecedens locis prouenit.

217. ASTER anguſto Linariae folio, floribus lu-teis.

Caulibus tenuibus, angulofis, glabris, pedali-bus aut ſesquipedalibus folia adhaerent praecedentis ſi-

 milia.

milia, ſed longiora, rigidiora, creberrima atrouirentia, qui extremum verſus in plurimos ſparſos et diffuſos ramos triunciales, ramuloſque tenuiſſimos ſeſquipollicares, capillaceis fere foliolis creberrimis veſtitos diuaricantur, quorum ſinguli florem in apice geſtant majuſculum, luteum, monochromum, ſeſcunciam latum, calyce conico fere ex pluriinis ſquamis paruis purpuraſcentibus compoſito, contentum. Ad Tanaim fluuium, apud Baſkiros et in Sibiria occurrit. An eos referri debet, qui a Rajo Aſteres vocantur ramulis aut pediculis polyphyllis, ſingulis ſingulos flores geſtantibus.

218. ASTER Linariae foliis, monanthos, purpureus.

Specimen ſiccum, quod Gmelinus ex Dauria miſit, caulem habebat pede paulo altiorem, rectum, ſtriatum, foliis veſtitum copioſiſſimis ad Linariae vulgaris luteae, flore majore C. B. folia accedentibus, ſeſcunciam longis, duas circiter lineas latis, rigidiuſculis, glabris in tenuiſſimum et acutiſſimum mucronem abeuntibus. Summum caulem terminabat flos vnicus, Aſteris Attici vulgaris magnitudine et forma, purpureus, vnicolor; ſemifloſculi enim, qui coronam conſtituunt et floſculi, qui diſcum efformant, vnius ejuſdemque ſunt coloris. Radix notante Gmelino, parua eſt tenuis, fibrillis aliquot ſtipata. Ad Ononem fluuium occurrebat.

219. SOLIDAGO odorata, foliis oblongis, criſpis et laeuibus Gmel.

Caule ſurgit viridi, craſſo, inani, ſtriato, non raro ad hominis altitudinem perueniente, foliis

ſtipato

ſtipato alternis, non admodum copioſis, crispis, ſiue vndulatim reflexis, integris plerumque, interdum leuiſſime et raro ſerratis, duos aut duos cum dimidio pollices longis, dimidiam vnciam latis, ad extremum acutis, viridibus. Circa ſummitatem in plures ramos divaricatur, flores Iacobeae luteos ſuſtentantes. Odor plantae gratus eſt.

Circa lacus in meridionali Ingodae ripa extantes ſub initium Iunii menſis reperitur. Gmel.

220. SOLIDAGO paluſtris altiſſima, incana et tomentoſa, foliis longioribus, ſerratis.

A Iacobaea paluſtri altiſſima, foliis ſerratis Inſt. r. h. ad quam proxime accedit, differt caulibus craſſioribus, alba lanugine penitus obductis; foliis longioribus, crebrioribus, latioribus, minus acutis, candidiſſimo tomento vtrinque obſitis, caulemque fere operientibus; floribus denſius congeſtis; calycibus incanis et lanuginoſis.

In Baskirorum regione legit Heinzelmanus.

221. IACOBAEASTRVM Cacaliae folio Gmel. Tab. XXIV.

Caule ſurgit duos cubitos alto, e radice Asphodeli radici analoga, foris luteſcente, inter aliquot folia maxima, circumſcriptione rotunda, pediculis pedem longis innixa. Ipſe caulis ad exortum rubet, in progreſſu dilute viridis eſt coloris, craſſus, ſolidus, medulla alba farctus, lanugine alba pubescens, ſuperius ſtriatus, per inaequalia interualla folia emittens rotunda pariter,

inferius maxima, verſus ſummitatem minora, latiſſima baſi foliacea caulem cingentia, ſuperne intenſe viridia, inferne multum dilutiora, et leui lanugine hirta, argute ſed minus profunde denticulata. In ſummo caule aliquot alae foliaceae, inferius baſes foliorum conſtituentes, egrediuntur, poſtque has ſpica florum aurei coloris, ampla et ſpecioſa, dimidium interdum pedem longa. Flores ſinguli pediculis vnum aut ſesquipollicem longis, alba lanugine veſtitis, ex ala folioli minoris exeuntibus, innituntur, calyce incluſi integro, ſuperius denticulato, in decem plerumque partes fiſſo et vtrinque foliolum anguſtum in baſi accretum habente. Coronam floris octo plerumque conſtituunt ſemifloſculi a T. XXIV. e quorum imis piſtillum ſurgit flauum, ſuperius bifidum et reflexum, ouario longiuſculo ſtriato innixum. Floſculi in quinque aequales partes fiſſi, e quorum fundo piſtillum ſurgit vagina inuolutum, quae ſucceſſu temporis fuſca euadit, ſuperius bifidum, embryoni innixum oblongo, per longitudinem canaliculato et pilis ornato. Flores odorati ſunt; tota vero planta grati aromatici ſaporis eſt. Gmel.

In campis Argunienſium officinarum ſub medium Iulii menſis florentem hanc plantam reperit Auctor.

Calyx, quantum in ſicco ſpicimine obſeruare potui, ſimplex quidem erat, ſed in plura ſegmenta ad placentam vsque diuiſus, quae marginibus ſuis membranaceis, fuscis et fere diaphanis arcte ſibi inuicem ſuperincumbebant. Igitur proprie non ad Iacobaeaſtri, ſed ad Iocobaeoidis genus a Vaillantio in Comm. Acad. Reg. Scient. Pariſ. inſtitutum ob foliorum formam pertines

tinet. Num eadem aut diuerſa ſit a Iacobaeoide Ari folio crenato Eiusd. aut Iacobaea orientali Cacaliae folio Inſt. r. h. Coroll. p. 37, ob descriptionis et iconis Tournefortianae defectum mihi latet.

222. DIMORPHOTHECA Calthae aruenſis folio, altera Gmel.

Radice nititur longa, albente, tenui, paucis fibris ſtipata. Caules aliquot cubitales, virides, leuiter ſtriati, firmi, at non craſſi, ex vna radice egrediuntur, admodum folioſi, ramos breuibus interuallis alternatim emittentes. In ſummitate caulium et ramorum vnicus plerumque flos, mediocris magnitudinis, cujus flosculi flaui ſunt, ſemiflosculi vero vel albent, vel dilute carneo colore gaudent. Semina ſuccedunt duum generum. Folia Calthae aruenſis, minora tamen, alternatim copioſiſſime prodeuntia.

Ad Oſtium medium Kailari fluuii ſiue fontes Arguni ſub finem Iulii menſis inueni Gmel.

223. LEUCANTHEMUM montanum, foliis profunde inciſis, flore majore, minus odoro Meſſerſchm.

Radice eſt exigua, lignoſa, dura, fibris parce capillata, foris fusca, intus alba; caule recto, tereti, glabro, ſubrubente, non geniculato; foliis mox a radice alternatim caulem ſcandentibus, breuibus, Bellidis vulgaris ſimilibus, ſed Cornu Cerui diuiſuris profunde inciſis, iterumque ſectis, vtrinque viridibus, glabris, ſubtus tamen pallidioribus; ramulis ſubinde ex foliorum alis breuiusculis, ſurſum rigentibus, in quorum vti et

caulis faſtigio flores plerumque ſingulares, disco luteo, corona alba, magni, calyce haemiſphaerico ſquamoſo comprehenſi, odoris admodum debilis.

Ad Ieniſeam fluuium occurrit. An Leucanthemum Alpinum, foliis profunde inciſis Inſt. r. h. p. 493?

224. COTULA montana, Peucedani folio rigido, floribus in corymbo nudis, luteis, Daurica Meſſerſchm.

Inter decimam quartam et decimam quintam claſſem methodi Tournefortianae aliam appoſuit Clariſſ. Michelius in nouis ſuis plantarum generibus pag. 35 quam herbae conſtituunt, quae floribus dipetalis praeditae ſunt. Ad nouam hanc claſſem ſequens quoque planta pertinet, nempe

225. CORYSPERMON glabrum, majus, longiſſimis foliis.

CORYSPERMON, Auctore Cl. de Iuſſieu Comment. Acad. Reg. Scient. A. 1712, eſt plantae genus flore calyce deſtituto, dipetalo, ſtamine vnico et piſtillo praedito, quod deinde abit in ſemen ſubrotundum, altera parte conuexum, altera parum concauum et quaſi alatum.

Vni-

Vnicam hujus generis ſpeciem Auctor recenſet et deſcribit loco ſupra citato p. 187, cujus deſcriptioni exacte reſpondentem plantam jam per aliquot annos coluimus, ex ſeminibus apud Baskiros ab Heinzelmano lectis enatam, niſi quod ſubinde ſtamina duo aut tria piſtillum comitarentur. Folia quoque in icone, quae ibidem habetur, quam in noſtra planta ſunt breuiora et obtuſiora. Videtur ea de juniori planta facta eſſe. Specimen vero ſiccum, quod ex Gallia habeo, cum hac Tatarica omnino conuenit.

Praeter hanc a Iuſſieuio deſcriptam aliam adhuc ſpeciem ab eodem Heinzelmano iisdem regionibus lectam accepimus, quae caules obtinet, praecedentis multo craſſiores, prorſus glabros, teretes, tortuoſos admodum fragiles, purpureos, in innumeros fere ramos ramulosque diuiſos, foliis veſtitos duas circiter lineas latis, craſſiusculis, laeuibus, tres quatuor aut quinque vncias longis, acutis, e quorum ſinubus pediculi egrediuntur vnciales, vel ſescunciales, creberrimis foliolis ſeu potius ſquamis dimidium pollicem longis, vtrinque anguſtis, ad latera membranaceis et fere diaphanis, concauis et in acutiſſimum mucronem deſinentibus obſiti, ad quorum exortum floſculi prioris analogi conſpiciuntur, piſtillo eorum abeunte in ſemen ſubrotundum, duas aut tres lineas longum, planum fere, alatum inſtar Nigellae Orientalis, flore flaueſcente, ſemine alato plano Inſt. r. h. Coroll. 19. in margine fuluum, in medio nigricans, intus cinereum.

Eſt Rhagroſtis ſemine Paſtinacae Buxb. Cent. III, pag. 30, Tab. LV. Variat admodum magnitu-

nitudine ratione ſoli ſterilioris aut pinguioris in quo naſcitur. Ab Heinzelmano ſpecimina nuper obtinuimus ad Volgae ripam prope Samaram oppidum lecta, quorum quaedam vix ſeſcunciam ſuperabant, alia vigecuplo ad minus altiora erant. Omnia vero tam fragilis erant conſiſtentiae, vt leui tantum attactu vel affrictu in fruſta dilaberentur.

226. ACETOSA montana, folio cubitali, oblongatiore, criſpo, floribus in ſubuiridi luteolis Meſſerſcm.

Czerenkowoi Rewen, vel Rhabarbarum Sibiricum Ruthenis dicitur, ſed perperam; genuinum enim Rhabarbarum Chinenſe ſeu Raua Chini Garziae et Cſchungka Tanjutorum a Muntingio deſcriptum ne hilum aemulatur. In Vdae fluuii montanis et circa Vkir-Noor ſeu lacum in Dauria occurrit. Meſſerſchm. Nec hanc nec vllam aliam plantam Rhabarbaro Muntingii lanuginoſo, ejusdemque iconi fictae conuenire poſſe facile credo. In Diario ſuo Meſſerſchmidius vlterius refert, a Mogulo-Burathis eandem hanc plantam Yſchune vocari, acido et valde grato ſapore praeditam eſſe, eundemque populum caules ſeu potius pediculos foliorum tam crudos ad ſitim ſedandam, quam oleris inſtar coctos frequenter comedere. Vid. ſupra Rhabarbarum.

227. LA-

227. LAPATHUM Dauricum, montanum, fruticans, ramis late ſparſis, folio oblongo, anguſto, plano, rigidiuſculo, arrecto; ſemine in longis flagellis, magno: an Lapathum Orientale, anguſtifolium, magno fructu Inſt. r. h. Coroll. p. 38? Meſ-ſerſchm.

Mihi potius hoc idem videtur cum Lapatho Orientali, frutice humili, flore pulchro Inſt. r. h. Coroll. p. 38, quod copioſe cum Atriplice Orientali, frutice aculeato, flore pulchro Ejusd. Coroll. in Baskirorum et Kirgiſiorum regionibus, nec non in Sibiria prouenit, vnde ſpecimina plura a Gmelino et Heinzelmano lecta, habemus. Frutex autem eſt Atriplici modo dictae Orientali etc. valde ſimilis habitu, creſcendi modo, florumque diſpoſitione; ſed non ſpinoſus, foliis multo longioribus, anguſtioribus, acutioribus, ad Polygoni folia accedentibus, glabris, rigidis, neruoſis, ſemine trigono vt in Lapatho et Acetoſa, intra tria folio-la ſubrotunda, roſea et pulchre ſtriata contento. Plantam ſuam Meſſerſchmidius prope Dalai lacum reperit.

228. LAPATHOIDES fiſtuloſo caule, anguſto Salicis folio, ſemine in calyculis echinatis, minutulo, luteſcente Meſſerſchm.

Creſcit in Vliginoſis Keth fluuii.

229. ATRIPLEX montana, ramis late ſparſis, frutiſcoſa, longo anguſtiſſimo folio, rigido, pungente, ſemine in thyrſulis ramorum imbricatis vel ſquarroſis, nigro. Ejusd.

Ad Dalai lacum in Dauria occurrit.

230. ATRIPLEX montana, incaneſcens, latiuſculo folio, non ſinuato, fructu in thyrſulis ſquarroſis nigricante, paruulo Ejusd.

Eodem quo praecedens loco prouenit.

231. ATRIPLEX ramoſa, Hyſſopi foliis craſſiuſculis in ſpicam ſquarroſam congeſtis, ſemine ad foliorum vnguiculos nudo, ouato, plano, majore; rectius forſam ſui generis nomine Paronychioides dicenda. Ejusd.

Haec nihil aliud eſſe videtur quam Coryſpermii ſpecies, de quo ſupra egimus. Ad Dalai lacum obſeruauit Meſſerſchmidius.

232. ATRIPLEX montana, procerior, ramoſiſſima, folio ſinuato Meſſerſchm.

Forte haec eadem eſt cum ſequenti. Prope Dalai lacum inuenit Auctor.

233. ATRIPLEX altiſſima, roſea, foliis ſplendentibus.

Semina, ab Heinzelmano ad Iaici fluminis ripam prope Oropolim nuper conditam vrbem lecta, ſata breui temporis ſpatio in fruticis elegantis ſpeciem ad duodecim, tredecim aut quatuordecim vsque pedes ſurgentem, excreuerunt, caule valido, lignoſo, duriſſimo, brachii humani interdum craſſitie, alba medulla repleto, cortice obducto dilute cinereo, in philyras hiſcenti, ad trium aut quatuor vnciarum diſtantiam a radice, quae ex innumeris fere fibris conſtat, ramos aliquot fundenti quatuor aut quinque pedes longos, duros, conjugatos,

tos, ſeſe decuſſantes. Poſt hos ex eodem caule alii oriuntur alterno ordine diſpoſiti, numeroſiſſimi, cubitales, bicubitales et longiores, in quamplurimos minores teretes et ſtriatos, pallide virescentes ſubdiuiſi.

Folia, quae vncialium ope pediculorum trunco et ramis prioribus adnascuntur ad incerta interualla, Atriplicis hortenſis vulgaris quodammodo ſimilia ſunt, profundius tamen et rarius dentata, minus ad baſin aurita, majora, longiora et acutiora, glabra, micis iſtis argenteis, quibus vulgaris ſcatent, minime aſperſa, ſuperne ex laete viridi colore ſplendentia, inferne cinerea aut glauca; ſuperiora vero, quae ramis ramulisque adhaerent, ad Chenopodii ſeu Pedis Anſerini II. Tab. Icon. magis accedunt, ſed longiora et acutiora ſunt, anguſtioraque quo magis verſus ramulorum ſummitatem naſcuntur, vbi etiam minus profunde et rarius dentata.

Porro per totam fere ramulorum longitudinem alii adhuc minores e foliorum alis oriuntur, ſemipedales, modo longiores, modo breuiores, tenues, ſtriati, foliis veſtiti reliquis minoribus multo, vix dentatis, anguſtis et valde acutis, e quorum ſinubus pediculi enaſcuntur non folioſi, creberrimi, vnciales aut ſescunciales, in quibus, ſicuti etiam in ſummitatibus horum ramulorum, flosculi conſpiciuntur minutiſſimi, copioſi, ex quinque ſtaminibus craſſiusculis, breuiſſimis, apices flauo-rubentes et teſticulatos in ſummo gerentibus, calycique pentaphyllo adnatis, compoſiti. Piſtillum autem fit ſemen paruum, nigricans, Sinapi ſeminis magnitudine, calyce reſiduo ceu capſula contentum. Iuxta hos flosculos hermaphroditos alii faeminini majori copia naſcuntur,

intra foliola duo cordiformia, concaua, viridia repoſiti, conſtantes ex piſtillo ſeu tuba corniculata, bifida, embrioni ſubrotundo, paruo, baſi iſtorum foliolorum accreto, innascenti, qui deinde excrescit in ſemen orbiculare, planum, dilute fuscum, Lentis fere magnitudine, intra duo ſupra dicta foliola; quae per maturitatem roſeum ſeu ſuaue rubentem colorem accquirunt, tanquam capſula reconditum.

Septembri demum menſe florere incipit, et ſemina raro ad maturitatem in hisce regionibus perducit. Vulgares vero hortenſes, rubra ſcilicet et alba ſingulis annis Iulio Auguſtoque menſibus vberrimum ſemper bene maturorum ſeminum prouentum exhibent.

A. 1736 menſe Iulio die calidiſſima in vna harum plantarum, prae aliis laetius crescenti, guttas plurimas e cortice majorum ramorum exſtillare obſeruaui, quae breui temporis ſpatio Solis ardore inſpiſſatae grana Mannae Calabrinae referebant: color eorum ad flauum vergebat, ſapor autem erat dulcis ſed valde ingratus. Nullus dubito, quin harum lachrymarum vſu interno tam potenter aluus ſubducatur, quam ſemine vulgaris Atriplicis hortenſis, quae Serapione et Matthiolo teſtibus vehementiſſime et magna cum moleſtia ſurſum et deorſum purgant.

234. CHENOPODIUM humile, non ramoſum, Lini folio, laeui Meſſerſchm.

235. CHENOPODIUM fruticans, ramoſiſſimum, confertis Lini foliis, ſemine partim purpurascente, partim nigro, ſplendido Ejusd.

236. CHENOPODIUM fruteſcens, Sedi folio minimo, villoſo, caulibus corallinis.

In Vralenſibus Alpibus et monte Vranja Heinzelmanus reperit.

237. CHENOPODIUM oblongo integro folio, floribus paniculatis.

Caules habet rectos, ſulcatos, pallide virentes, glabros, ſuperne in aliquot ramos diuiſos; folia Betae integra, e lata baſi ſenſim anguſtata, in acutum apicem deſinentia, ſescunciam longa, vnciam circiter lata, pollicaribus plus minus pediculis ſuſtentata, ſuperne viridia, ſubtus cinerea; flores in ſummo caule ſummisque ramulis, e foliorum alis egredientibus, minutiſſimos, capioſos, ſpicatos et paniculatos, quorum ſingulae ſpicae particulares vnciam plus minus longae ſunt, graciles, lineae ſcilicet latitudinem vix aequantes, flauo rubentes, denſiſſimae, Saururi florentis quodammodo ſimiles, pediculisque fulti ramoſis, admodum tenuibus; omnes autem ſimul paniculam efformant elegantiſſimam. Ex Sibiria Gmelinus miſit.

238. CHENOPODIUM altiſſimum, botryoides.

Admodum craſſo ſurgit caule, duro, glabro, quinque aut ſex pedes alto, mox a radice in plurimos ramos pollicis craſſitie diuiſos, foliis ornatos Pedis Anſerini 1. Tabernaem. Ic. ſimilibus, ſed longioribus, laeuibus, ſuperne ſplendentibus, profunde dentatis, in acutum et valde anguſtum mucronem terminatis, e quorum alis verſus caulis et ramorum ſummitatem flo-

res prodeunt minutiſſimi, in pulchros racemulos rubentes, vnciales aut ſescunciales, digitum minorem ad baſin craſſos, denſiſſime compacti. His ſuccedunt ſemina adeo parua, vt vix nudis oculis conſpici poſſint. Circa fluuium Or non longe Oropoli inuenit Heinzelm.

239. BLITUM fragiferum, maximum, polyſpermon.

E radice longa, albenti, admodum craſſa et quamplurimas fibras albas quaquauerſum ſpargente, folia oriuntur plurima Pedis anſerini 1. Tabernaem. Ic. maiora, tenuiora, et profundius inciſa, ſemipedalibus fere pediculis inſidentia, pallide vtrinque viridia, glabra, e quorum centro caulis ſurgit leuiter purpuraſcens, digitum minorem craſſus, ſtriatus, ſex, ſeptem aut plures in laetiori ſolo pedes longus, mox ſupra radicem in inumeros fere ramos virgatos, pedales, bipedales aut tripedales alterno aut nullo ordine diuaricatus. Folia, quae cauli ad ramorum horum exortum adnaſcuntur iis, quae ex ipſa radice egrediuntur, multo ſunt minora; ea vero quae verſus ramorum et caulis ſummitatem oriuntur, breuiſſimis aut nullis pediculis inſident, ſuntque anguſta valde, acuta et vix dentata, ad breuiſſima interualla diſpoſita.

Per totam autem ramorum longitudinem, ab imo ad faſtigium vsque, e ſinubus foliorum floſculi enaſcuntur plurimi, in tenuisſimos glomos ſeſſiles congeſti, ex tribus vtplurimum ſtaminibus, apicibus flaueſcentibus teſticulatis onuſtis, et embryone piſtillo breuiſſimo bicorni inſtructo, compoſiti, calyci innaſcentes trifido et ſubinde quadrifido. Omnes hae partes in initio

initio adeo paruae ſunt, vt nudos oculos pene fugiant. Embryo autem progreſſu temporis fit ſemen paruum, primo glaucum, per maturitatem nigrum, laeue, Amaranthi aemulum, in calyce reſiduo tanquam capſula reconditum.

Seminibus jam fere maturis calyces intumescunt et loco viridis coccineum colorem acquirunt. Tandem iidem ſucco coccineo adeo turgent, vt fraga ſeu baccas ſpecioſas et ſplendentes mentiantur, conſpicuis ſemper intra eorum cauitatem ſeminibus nigris. Demum ſemina fundunt et exarescunt. Hi ſucco coccineo ita turgentes calyces, denſe imprimis verſus ramorum extrema, ob graue nimis pondus deorſum tunc inflexorum, crescentes, plantae floribus alias minime ſuperbienti, pulchram ſpecioſamque et peramoenam faciem conciliant. Sapor eorundem ſubdulcis eſt et non ingratus. Compoſita ex iisdem capitula Mori aut Fragi fructum aemulantia minora ſunt Atriplicis ſylueſtris Mori fructu C. B. P. 119. ſplendentia, et dilutiori coccineo colore praedita. Per totam fere aeſtatem floret et ſemina fert. Ad Yk fluuium ſponte prouenit.

240 PERSICARIA montana, foliis longioribus et anguſtioribus, floribus racemoſis.

Radix geniculata alba, fibris minutiſſimis e geniculis exeuntibus, in terra fixa, caulem emittit cubitalem, bicubitalem aut tricubitalem, inferius rubentem, ſuperius viridem, rotundum, ſtriatum, firmum cauum, in genicula membranis albentibus cincta intu-

mescentem,

mescentem, e quibus ramuli pedales alternatim ſurgunt rubentes, aliquot pariter geniculis diſtincti, folia tria qatuorue anguſtiſſima, tres pollices longa, vtrinque viridia ſundentibus. Flores Perſicariae albi e ſupremis geniculis in pediculis tres aut quatuor pollices longis viridibus, compreſſis, per laxas ſpicas, quorum ſingulis foliolum reliquis ſimile ſubeſt, exeunt. Gmel.

In montoſis Vdae, Ingodae et Schilkae fluuiorum medio Iunii menſis floret. In deſerto Nagaico verſus Vralenſes Alpes Heinzelmanus quoque obſeruauit.

141. POLYGONUM montanum, erectum, procerius, flagellis late pſarſis, longiſſimis, calyculis rubentibus Meſſerſchm.

142. FAGOPYRUM erectum, fructu aspero Gmel.

Radicibus fibroſis, minoribus, luteſcentibus in terra figitur. Caules tres cubitos alti, rotundi, laeues, geniculis diſtincti, foliis Fagopyri vulgaris erecti Inſt. r. h. multo latioribus, conſiſtentia et colore iisdem ſimilibus, quae pediculis tres aut quatuor pollices longis ſuſtentantur, ſtipati. Ex foliorum alis pediculi flores plurimos ſuſtinentes oriuntur, vulgaris Fagopyri erecti, floribus multo minores, ex albido herbacei coloris; floribus vero ſuccedunt fructus non politi aut laeues, ſed asperi, cinerei fere. Gmel.

Hanc plantam a Krasnojarienſibus in agris coli et panem ex ea confici, circa Argunienſes autem officinas ſponte prouenire idem ſcribit. Semina Petropolim miſſa breui

breui temporis ſpatio in plantas excreuerunt ramoſiſſimas, flores et ſemina multo majori copia quam a vulgari gigni ſolent, per totam aeſtatem proferentes. Kraſnojarii Кирлскъ, in Argunienſibus argenti officinis Дикуиъ dicitur.

243. BISTORTA montana, minor, radice modicum intorta, anguſto folio, flosculis in ſpicae cacumine albis, ſterilibus, inferna ſpicae parte tuberculis prolificis, turbinatis, puniceis foecunda Meſſerſchm. Xen. Iſid. Sibir.

De hac Auctor in Diario ſuo ſequentia refert: ad Kareſch Yull herbam reperi, Biſtortae vulgari radice, toto habitu et viribus analogam, exceptis ſeminibus, quae non triquetra ſed ouata ſunt. Haec a Tataris Irgennoek vocantur; integra vero planta cum radice, cujus decocto in alui profluuiis torminoſis vtuntur, Meckoaſin dicitur.

De eadem procul dubio planta Gmelinus in catalogo plantarum transbaikalenſium ſub titulo Biſtortae Alpinae minoris C. B. P. haec habet: quam inueni conuenit cum hac, ſi formam radicis, folia et florum ſpicam ſpectes. Verum altitudine differt, quae in noſtra pedalis et interdum cubitalis eſt. An igitur Biſtorta Alpina media C. B. P? Creſcit copioſe ad Gaſimurum et in campis Argunienſium officinarum, vbi Tunguſis ſub nomine Mukà in escàm cedit. Tanti habent hanc radicem, vt in hyemem futuram eam colligant, et cuniculos muris alpini in primis eandem ob cauſam ſummo cum ſtudio rimentur, vbi magnos

ſaepe aceruos ejus radicis, a muribus in penum hyemalem collectos, vna inueniunt.

244. TRITICUM rufum Sinenſe, grano maximo; an Triticum rufum, grano maximo C. B. P. 21? Meſſerſchm.

Hujus grana, vti ſcribit Auctor in Diario ſuo Naun vrbe Mogulo Sinica allata, ad Ingodam et Vrulgu fluuios in Dauria bono cum ſucceſſu feruntur; ſuntque extus rufi aut ſpadicei coloris, intus alba farina repleta: magnitudine vero Tritici vulgaris ſemina multum ſuperant. Sponte nunc dicitur circa Albaſſinskoy vrbem deſtructam prouenire.

245. GRAMEN myoſuroideum, ramoſum, ſpica tenuiſſima, nigricante.

E radice, ex pluribus fibris tenuibus, albicantibus compoſita, plurimi, ad viginti vsque, culmi ſurgunt, tenuiſſimi, glabri, ſtriati, tres, quatuor, quinque, ſex aut ſeptem vncias longi, vnico, duobus aut tribus geniculis diſtincti, plerumque ramoſi, ramulos ſcilicet ex inferioribus geniculis emittentes. E ſingulis hisce geniculis oritur foliolum, ſemunciam in inferioribus, integram aut ſeſcunciam in ſuperioribus longum, vix lineam ad baſin latum, asperum, ſi digiti deorſum ducantur, in tenuiſſimum et acutiſſimum mucronem deſinens. Culmi non raro ad genicula incuruati ſunt et horizontali ſitu per terram ſparſi. Summos culmos terminat ſpica vncialis aut ſeſcuncialis, tenuiſſima, laxa, nigricans, ab anguſta baſi latior ſenſim facta, in medio

lineas

lineas duas circiter lata, in apicem obtuſum et ſubrotundum faſtigiata, e locuſtis minutiſſimis et laxe congeſtis compoſita, quarum calyx ex duabus conſtat glumis, vtrinque mucronatis, et carinatis, muticis, in dorſo ſubtiliſſimis aculeis albicantibus munitis, ſpadiceis aut nigricantibus, linea raro longioribus. Intra has folliculus reconditur itidem biglumis, muticus, laeuis, calyce parum ſubinde longior, ſemen continens majusculum, ſubrotundum, planum, flauescens.

Locis vliginoſis ad Iaicum fluuium ſitis, nec non in pratis circa Samaram vrbem legit Heinzelmanus. Ad Gramen Typhinum Orientale, ramoſum Sherardi Agroſt. pag. 73, quam proxime accedere videtur.

246. GRAMEN auenaceum, panicula heteromalla, locuſtis ampliſſimis.

Radicem hujus graminis non vidi. Culmorum pars ſuperior, quam ab Heinzelmano ex Tataria accepimus, ſesquipedalis erat longitudinis, teres, ſtriata, aspera, folio veſtita ſemipedali, rigido, neruoſo, glabro, vnciae trientem lato, valde acuto, ad baſin vagina culmum arcte ad trium pollicum diſtantiam obuoluenti, inſtructo. E geniculis culmi ſupra hoc folium poſitis pediculi oriebantur vnciales aut ſescunciales, tenuiſſimi et capillacei fere, angulum acutiſſimum cum culmo efformantes, modo ſingulares, modo bini aut terni, ſimplices vtplurimum, ſubinde etiam ramoſi, inferius ad longa ſatis interualla, ſuperius ad breuiſſima in vnum tantum latus diſpoſiti, locuſtas gerentes, graciliſſimis petiolis, lineam plus minus longis appenſas, ſemuncia-

 les

les, vtrinque acutas, in medio duas aut tres lineas latas, ad baſin purpureo-violaceas, apicem et oras verſus flauescentes, glabras, ſplendentes, non ariſtatas, in vnum itidem latus digeſtas, conſtantesque ex calyce biglumi membranaceo, ſtriato, fere diaphano, et folliculis duobus aut tribus alternatim axi adhaerentibus. Folliculi hi itidem biglumes erant, quarum altera calycis glumis aeque longa, altera duplo fere minor, ambae vero muticae erant, glabrae, ſtriatae fere diaphanae, vtrinque mucronatae et carinatae, intra quas ſtamina tria vtplurimum, breuiſſima, apicibus flauis, anguſtis, lineam fere longis onuſta, cum ſeminis rudimento in apice cirrhoſo, conſpiciebantur. Locuſtae omnes ſimul in pediculis culmo fere appreſſis ſpicam quodammodo efformabant ſemipedalem, tremulam ob pediculorum ſummam gracilitatem.

Gramini auenaceo longa, erectaque panicula violacea Barrel. Icon. 96, n. 1. Obs. n. 1230, valde ſimilis eſt; noſtri autem locuſtae majores ſunt, multo denſius congeſtae, breuioribus pediculis appenſae, et in vnum tantum latus diſpoſitae. Ad fluuium Iaik inter tumulos ſepulchrales veterum Mogulorum reperitur.

247. SPINACIA montana, alba, folio ſinuato, teſta ſeminis minore, asperiuscula, candida Meſſerſchm.

248. SPINACIA montana, folio leuiter ſinuato, capſula ſeminis minore, asperiuscula, nigricante Ejusd. Occurrit prope Dalai Nor et alibi in Dauria.

249. VR-

249. VRTICA foliis profunde laciniatis, ſemine Lini. Tab. XXV.

Magis haec frequens Vrticae ſpecies in regionibus transbaikalenſibus quam vulgaris, e radice fibroſa, profunde ſatis in terram infixa, primo vere plures protrudit caules quadrangulos, inferius rubentes, ſuperius virides, ſpinulis albicantibus horridos, foliisque ex aduerſo binis, quae longis pediculis fulciuntur, ſtipatos. Folia haec circumſcriptione rotunda et admodum venoſa ſunt, ſuperne intenſe viridia, inferne pallidiora, Platani folia imitantia. Sub initium Iulii menſis eadem planta plane aliam faciem induit, atque ſub initium Auguſti, quando floribus et ſeminibus jam onuſta eſt, hac ſe ratione ſiſtit: conſpiciuntur caules cubitales, bicubitales, imo in laetiori ſolo hominis altitudinem aequantes, plures, digitum minorem craſſi, inferius viridescentes, reliquam partem e violaceo purpurascentes, ſubrotundi, ſulcati, ſpinulis acriter et vehementius ac in vulgari Vrtica pungentibus obſiti, non procul a radice mox ramos ex aduerſo binos, dodrantales, cubitales aut bicubitales, quorum duo paria proxima ſemper in crucem diſpoſita ſunt, ad faſtigium vsque per inaequalia interualla emmittentes. Rami, quorum color e violaceo pariter purpurascit, foliis b T. XXV. per ſpatia duorum circiter pollicum ex aduerſo binis ornantur, iis quae primo vere protuſa fuerunt, longioribus, non raro ſtigmatibus albis obſitis, pediculis vncialibus aut biunci-alibus inſidentibus, in tres principales lacinias diuiſis et in plures ſubdiuiſis, neruoſis, ſuperne atro viridibus, inferne pallidioribus, ſpinulis vrentibus obſitis, e quo-

rum alis ramuli, foliis etiam ſtipati prodeunt, alii flo-riferi, alii ſeminiferi, eadem plane ratione qua in Vr-tica vulgari diſpoſiti. Semina a pariter ſolitaria ſunt, binis valuulis c conniuentibus incluſa, e viridi lutes-centia. Figura vnum e ſummis hujus plantae ramis exhibet. Ruthenis in Dauria degentibus vti vulgaris Vrtica Kропива audit, et illius inſtar ad olera inſer-uit. Gmelinus.

Eſt eadem cum Vrtica montana altiſſima, tri-fido fere Cannabis folio, ſemine in racemulis majore, fuſcescente Meſſerſchm. qui eam ad Yſſ fluuium quo-que obſeruauit.

250. CANNABIS erratica, montana, procera, Dau-rica, folio minore, ſemine Lupulino ſimili, par-vulo, guttato Meſſerſchm.

An forte Cannabis Africana procerior, ſemine minori Inſt. r. h. 535? A Mogulis in Dauria, no-tante Meſſerſchmidio, vocatur Schema, a Tanjutis Dſchoma, a Ruthenis Konople, a Tataris vero Kentyr.

251. DRYOPTERIS Rubum Idaeum ſpirans.

E radice craſſiuscula, extus nigricante, intus alba, innumeras fere fibras emittente, ſuperne ſquamis fuluis et fere diaphanis penitus obtecta, plurimae ſur-gunt coſtae pedem plus minus longae, canaliculatae, fuſcae, ſaepe ad medium vsque iſtiusmodi ſquamis fuluis,

quales radicis caput inueſtiunt, ſed laxe admodum dis- poſitis, inſtructae. His a ſescunciali a radice diſtantia ad faſtigium vsque, alae adnaſcuntur vnciam in medio coſtarum circiter longae, pollicis quadrantem latae, ima et ſuprema earundem parte multo breuiores et an- guſtiores, alterno ordine diſpoſitae, numero triginta aut plures in vnoquoque latere, in pinnulas oblongas, li- neam cum dimidia circiter longas, vnam latas, in am- bitu crebro et profunde dentatas, ad neruum vsque me- dium diſſectae. Pinnulae hae prope alarum baſin con- jugatae ſunt, apicem vero earundem verſus alterno or- dine diſpoſitae, interiori parte ſeu facie laete virides, auerſa ſeu dorſo globulis vel capſulis ſeminiferis rufis penitus obſitae.

Ieniſeae incolae, vt refert Gmelinus hanc plan- tam cereuiſiae incoquunt, quae gratum inde Rubi Idaei odorem et ſaporem acquirit. Sicca etiam in conclaui aſſeruata totum conclaue odore ſuo implet. In Anga- rae et Selengae fluuiorum montoſis prouenit. Tan- quam efficaciſſimum antiſcorbuticum Gmelino commen- data fuit.

Dryopteris Dalechampii Buxb. Cent. V. di- uerſa videtur ab hac ſpecies.

252. FILICASTRUM ſeptentrionale et paluſtre Com- ment. Acad. Petrop. Tom. nond. edit. vbi fig. et deſcr.

Hujus ſynonyma ſunt: Filix paluſtris maxima C. B. Pi. et Prodr. p. 150 et 151. Strutioſera Mun- ting. Phytograph. p. 292, cujus figura folia tantum ſemi-

ſeminifera exhibet. Lonchitis Norwegica major Petiv. Ray Hiſt. plant. App. pag. 68. Struthiopteris Cordi et Thal. Sylv. Harcyn. p. 119. et 120. Filix paluſtris altera, ſubfuſco puluere hirſuta C. B. Pin. 358.

253. LICHEN coralloides, fruticoſus, terreſtris, paruus, flauescens, denſiſſime ramificatus.

Rara et elegans haec Lichenis ſpecies, circa Oropolim ad Iaicum flumen locis nitroſis proueniens, mox ſupra radicem in plurimos ramos craſſiusculos, teretes, aut parum compreſſos, non tubulatos, externe flauescentes, intus candidiſſimos diuaricatur. Singuli hi rami rurſus in innumeros fere alios minores ſtructura et colore praecedentibus ſimiles, breuiſſimos, vix lineam longos, quaquauerſum expanſos, denſiſſime congeſtos, fruticulique globoſi ſpeciem quandam referentes, diuiduntur, in quorum omnium ſummitatibus receptacula florum conſpiciuntur haemisphaerica, laeuia, intus nigricantia, vix lineam lata. Tota planta altitudine vnciam dimidiam raro ſuperat; ejus autem ramuli tam denſe congeſti ſunt, vt praeter ſupra dicta florum receptacula de reliquis plantae partibus nihil in conſpectum veniat. Pertinet ad Lichenum ordinem V. Michelii Nov. plant. gener. pag. 76. Sicca fere lapidis inſtar dura eſt, aqua vero iterum macerata admodum molleſcit.

254. EPHEDRA minima, flagellis breuioribus et tenuioribus. Tab. XXVI.

Planta

Planta non vltra dimidiam ſpithamam alta, e radice foris fusca, intus alba, parum fibroſa, duos tresue caules emittit lignoſos, e quibus cauliculi pluri-mi, molles, teretes, virides, geniculati, humifuſi, fru-ticis ſpecie prodeunt. Extremum ſingulorum cauliculo-rum bacca a T. XXVI. terminat, elegantiſſime rubens, ro-tundiuscula, ſuperius anguloſa et anguſtior, dulcis, apice hi-ans b et ſemen c, ſi fructus maturus eſt; ex eodem apice protrudens. Baccae vero illae triplici velut ſerie foliorum 1, 2, 3 ſquamatim ſibi incumbentium, ſuc-co turgidorum, conſtant, aut, vt diſtinctius dicam, e duabus valuis componuntur, nullo pariete ſeparatis, qua-rum ſingulae ſemen continent cartilagineum, oblongum, altera parte gibbum, altera concauum vel planum, fuſ-ci coloris; ſingulae vero baccae duplici perianthio in-voluuntur, altero, quod immediate baccam tangit, ma-jori 2, altero externo minori 3 ejusdem ſtructurae. Vtrumque, quando fructus maturus eſt, eodem cum illo colore gaudet, ſin minus, viridi.

In deſertis aridis vtriusque litoris Irtis fluuii, Scheleſienſe et Iamuſchaewienſe fortalitia interjacentibus, menſe Iulio iter facientibus paſſim obuiam venit ele-gans haec planta, cujus baccas ob Solis magnum ar-dorem auide expetiuimus et guſtui acceptas deprehen-dimus. Florem non vidi. Gmel. Idem poſtea eandem plantam in deſertis Selengae et Vdae fluuiorum in Da-uria lectam Petropolim miſit, ſub titulo Ephedrae maritimae minoris Inſt. r. h. a qua tamen manifeſte differt. Heinzel-manus quoque locis incultis ad Iaicum flumen circa Sacma-ram et Iaicum vrbem obſeruauit et ſpecimina ſicca ibidem lecta nobiscum communicauit. Ruthenis, ad Irtim fluuium

Z degen-

degentibus степная Малина dicitur. Eſt forte Ephedra ſaxatilis ſupina, baccis coccineis Meſſerſchm. qui eam ad Tſchulim fluuium menſe Iunio reperit.

255. EPHEDRA monospermos Gmel.

Hujus baccas coccineas, vnico ſemine foetas, ad Lenae flnuii ripam lectas, Auctor ante aliquot ſeptimanas miſit.

256. CASIA fructu nigro Gmel.

Fruticulus in cubitalem altitudinem raro aſcendens, e radice lignoſa, digitum minorem craſſa, fuſca, paucis fibris ſtipata, repente, mox aliquot caudices emittit, e quibus plurima brachia ſurgunt, admodum in latum expanſa, et ex his alii rurſus minores rami, eandem regionem ſpectantes, foliis ſtipati minoribus, anguſtis, oblongis, obtuſis, albo virore pictis. In ſummitatibus vero horum ramorum, qui in extremitate non raro ſpinae inſtar acuti ſunt, vt et juxta eorum longitudinem, baccae numeroſiſſimae nigrae, guſtui ſalſae, pediculis innixae, egrediuntur, vnico intus oſſiculo foetae. Cortex caudicis et ramorum albet.

Copioſe proueniebat circa lacum ſalſum Iamiſcham; multae vero arbuſculae baccis omnino viduae erant: ex quo conjecto, flores a fructu remotos in diuerſis plantis naſci. Gmel.

257. PINUS ſatiua cortice fiſſo, foliis ſetoſis ſubrigidis, ab vna vagina non binis, ſed vtplurimum

quinis

quinis, raro pluribus, paucioribusque, cono nucleisque quam in Hiſpanica minoribus Meſſerſchm.

Eſt Pinaſter Bellonii de Conif. 19, et Michelii Nov. plant. gener. p. 223, Tab. 19. Vocatur teſte Meſſerſchmidio, Choeſchi a Mogulis in Dauria; a Burathis Coſche et Cohung; a Kyſtim Tataris Chusſuk et Choſſun ayatſch; a Kara-Jus Tataris Sayr et Sarah; a Tunguſis Orontog vel Oleeni; Tacktichan, conus vero ſeorſim Bokotta a Denka, id eſt Cebellarum Aſtyachis ad Ienizeam fluuium; Chonn, Chantaya Aſſiach Tataris circa Surgut; a Lapponibus Lygal et Lygaliuch, nuculae pineae ſeorſim Nager; a Ruthenis in Sibiria degentibus Cedr, Conus ſeorſim Cedrowa Schiſchka, nuculae vero Cedroui Oreech. Nuculas has auide Sibiriae incolae comedunt; ſuntque dulcis et admodum grati ſaporis. Oportet autem vt recentes ſint, breui enim rancescunt. In Vralenſibus montibus Heinzelmanus quoque obſeruauit.

258. BETULA cortice ſcabro, hinc inde nigro Gmel.

Altitudine et craſſitie Betulam vulgarem aequat, vel aliquanto ſuperat. Caudice ſurgit plerumque recto, ſubinde tamen aliarum arborum inſtar incuruato, qui cortice ſcabro et pluribus quaſi lamellis ſibi inuicem ſuperincumbentibus, vti in Pinu, Larice etc. compoſito, externe fusci et nigrescentis, in junioribus hinc inde albentis, interne rubentis coloris, tegitur, in brachia et ramos poſtea diuiſus, angulum cum caudice minorem, ac in Betula vulgari efficientes, ad exortum plerumque albentes. Folia Betulae vulgaris foliis ſunt multo anguſtiora; fructus iidem. Subſtantia ligni vul-

 garis

garis ſolidior eſt, alba et ponderoſa, et ferro magis reſiſtit.

Circa Argunienſes officinas et in montoſis Arguni fluuii cum Betulâ vulgari prouenit, et hac copioſior occurrit. Incolae Черилуа береза vocant et vere ſuccum cum ſucco Betulae tam odore quam ſapore eundem fundere affirmant. Gmel.

259. BETULA pumila, foliis ſubrotundis.

Eſt haec Betula pumila Loeſel. Flor. Pruſſ. Betula paluſtris nana Rudbec. de pl. Lappon. Actt. lit. Suec. Ao. 1720. Betula humilis, rotundifolia ex Noruegia Burſeri ibid. A. 1724. Betula paluſtris pumila foliis paruis rotundis Cat. pl. circa Vpſal. naſc. in Actis iisd. 1732. In Ingriae et Careliae locis paluſtribus prouenit. Ejus deſcriptionem et iconem dedimus in Comment. Acad. Imp. Petropol. Tom. nondum ed. A. 1736, antequam ad manus meas perueniſſet Cl. Linnaei Flora Lapponica, in qua etiam deſcripta et delineata eſt, pag. 266. Tab. V, fig. 4.

206. VLMUS humilis Gmel.

Nonniſi omnium partium paruitate ab Vlmo folio glabro Ger. Em. differt. Statura enim rariſſime Padum aequat. Floſculi ſunt rubentes, vix niue reſoluta prodeuntes, quos folliculi ſeminales, Vlmi vulgaris folliculis ſimiles primo vere, medio ſcilicet Maii menſis

ſis ſequuntur. Copioſe prouenit ad omnes fluuios trans-baikalenſis regionis. Gmel.

Hujus neſcio varietatem, an diſtinctam ſpeciem, in montoſis earundem regionum vbique frequentem, obſeruaui. Statura jam recenſita ſpecie paulo humilior eſt; rami non ſunt adeo erecti, ſed in latum magis diffuſi, ſparſi et deorſum dependentes, compreſſi, et tanquam alis ligneae pariter ſubſtantiae donati, cortice ex albenti cinereo ramorum inſtar tectis. Folia caeterum deſcriptae ſimillima ſunt. Id.

A Ruthenis harum regionum incolis vtraque ſpecies propter ſimilitudinem cum Vlmo Иʌменовникъ dicitur.

261. CHAMAERHODODENDROS folio glabro, majusculo, amplo, flore roſeo Meſſerſchm. T. XXVII.

Radice erat tuberoſa, craſſa, in propagines breves digitum fere craſſas a latere diffuſa, foris fuſca, intus ſubflauente, albida: cauliculis ab vna radice pluribus, erectis, teretibus, non geniculatis, corticis epidermide tenui fere vt in Periclymenis, ſua ſponte rupta et abscedente, ipſo cortice cinereo, glabro, ſicciore, tenui, materiei durae, flauicanti firmiter adnato, medulla perexigua, ferruginea, rufeſcente: ramulis paſſim ſatis frequentibus ſed breuibus, in alios ramusculos adhuc breuiores breuioresque diuaricatis: foliolis vix niſi in ramusculorum cacumine alternatim quidem, ſed breuiſſimis interuallis pullulantibus, petiolo breuiſſimo ſultis, nondum adultis quidem oblongis, vtrisque extremis ſubrotundis tantisper ellipticam figuram imitantibus, ambitu integro, craſſiusculis, ſiccioribus, rigidis, obſcure

 viren-

virentibus; ſplendidisque, ab auerſa pallide viridi in albente colore conſpicuis, tactu et odore Laurinis tantisper accedentibus: floribus e foliorum alis breui petiolo fultis, calyculo aphyllo exiguo vix aciculae globulum aequanti insidentibus, velut nutantibus, roſei coloris ſaturate rubri, monopetalis, campaniformibus, patentibus, ora ampliſſima quinquelaciniata, laciniis longiuſculis, anterius ſubrotundis, velut neruo quodam medio verſus fundum floris extrinſecus quidem craſſiusculo, rubro donatis, teneriusculis, leuiter odoratis: ſtaminibus e fundo floris fere decem longiſſimis, flore nutante vltra ejus oram deorſum omnibus ſinuoſe propendentibus, rubris, apiculis perexiguis, viridiusculis non fla'uis munitis: piſtillo inter media ſtamina floris fundum perforante, ſeu claui inſtar infixo, exiguo tubulo longiuſculo donato, infima ſui parte abeunte in teſtulam oblongam, in quinque loculamenta diuiſam, apice tenus in quinque velut cornicula dehiſcentem, ſpargentemque ſemina minutula, adhuc tenera, alba. Meſſerſchmid.

In Diario ſuo Auctor refert ſe audiuiſſe hujus fruticis piſtillum a Ruthenis in Dauria degentibus, quibus Bagulnik audit, ad inebriandos pisces adhiberi. Idem ſcribit relatum ſibi fuiſſe a Lama ſeu Presbytero Karabandi hanc plantam a Tangutis lingua eorum ſacra Sſurnak appellari, et ad ſuffitus et odoramenta ſacra Idolorum copioſe in Tangutana regione vſurpari. Ad Ymmukai Nor ſeu lacum, ad Vdam et Narrang fluuios juxta Bulturuck tentoria menſe Majo obſeruauit et deſcripſit Meſſerſchmidius.

Nullus

Nullus dubito, quin haec ſit Chamaerhododendros flore amplo purpureo Gmel. qui elegantis hujus fruticis iconem et deſcriptionem Irkuto miſit, quam ad illuſtrandam priorem hic quoque cum icone, vid. Tab. XXVII. exhibemus: e radice tuberoſa tres quatuorue ſtolones, vltra dimidiam orgyiam nonnunquam longos, in terram demittente, paucis fibris ſtipata, foris lutea, intus candida, ligneae ſubſtantiae, ſaporis ſubdulcis, plures virgae variae craſſitiei et longitudinis, a cubitali ad hominis altitudinem aſcendentes, flexiles, cinereo cortice tectae, hinc inde fuscae, rubenteſue ſurgunt, quae non niſi verſus mediam partem altitudinis ramos edere incipiunt, quos tum alii nullo ordine, ſed nec magno numero ad faſtigium vsque ſequuntur. Summitatem ſingulorum ramorum vnus duoue flores a, campaniformes, patentes, pollicem lati, in quinque lacinias ſatis profunde ſecti, purpurei, foris ad baſin quinque coſtis eminentibus inſigniti, tenerrimae ſubſtantiae, ſtaminibus decem, pollicem longis, dilute purpureis, nutantibus et apicibus latiuſculis, breuibus, caerulei coloris, inſtructis, ornati terminant. In medio horum ſtaminum piſtillum b, ſeſquipollicem longum, nutans, rubrum, quod ima ſui parte embryoni fructus cylindrico fere, ſuperius paulum acuminato, quinquangulo et in quinque cellulas diuiſo, tanquam clauo infigitur. Flori ſubtus capitula quaedam, ſquamis foliaceis conſtantia, oblonga et gemmae majoris ſpeciem exhibentia, vti in Ledo Alpino foliis ferrea rubigine nigricantibus C. Bauh. foris dilutiſſime purpurea, intus albentia, quae calycis vice fungi videntur, accreſcunt, iisque

iisque proxime ſubjacent folia Laurina, conſiſtentiae duriorıs, ſuperne intenſe viridia, inferne pallidiora, nullis neruis diſtincta, oblonga, raro vltra pollicem longa, plerumque tria, ſaporis non auſteri, quibus duos circiter pollices inferius in iisdem ramulis floriferis aliquot adhuc ſubnascuntur, plura vero etiam aliis ramorum in locis aeſtate ſuccedunt. Odor hujus fruticis eſt vt in Ledo Sileſiaco, ſed multo remiſſior, nec caput afficiens. Flores ſub initium Maii menſis profert et in omnibus ſyluis trans Baikal lacum ſitis frequens eſt. Figura vnum e ſummis ramis exhibet. A Ruſſis earum regionum Багульникъ, a Buratis Toroltſchi dicitur.

262. CHAMAECERASUS fructu gemino, rubro, foliis glabris, cordatis.

Rami hujus cortice obducti ſunt ſpadiceo, vt in Chamaeceraſo montana, fructu ſingulari caeruleo C. Bauh. Folia conjugata ſunt, vncias duas cum dimidia longa, ſesquipollicem lata, viridia, vtrinque glabra, pediculis duas praeter propter lineas longis inſidentia, in baſi latiſſima, cordata, vnde paulatim anguſtiora facta in acutum deſinunt apicem. Ex alis foliorum in vtroque latere oriuntur pediculi tenuiſſimi, teretes, glabri, pallide virentes, vnciales, in apice gerentes flores albos, congeneribus ſimiles; quibus ſuccedunt baccae modo ſingulares, modo ternae, vtplurimum gemellae, rubrae, piſi magnitudine, ſeminibus foetae planis, oblongis, flaueſcentibus

tibus. Ad Iaicum fluuium circa Oropolim Heinzelmanus, in Dauria Gmelinus reperit.

263. RUBUS trifolius, humilis, non ſpinoſus, ſapore et odore Fragariae, fructu rubro, polycocco, Rubo idaeo ſimili Meſſerſchm.

Radice eſt repente, tenui, cauliculo recto, exili, geniculato, tereti, glabro, raro ſpithamam alto; foliis ad genicula ſingula ſingulis, Fragariae ſimilibus, ſed minoribus, trifidis, ad petioli exortum velut auritis, ambitu crenatis, vtrinque glabris, laete viridibus, ſubtus pallidioribus, venis craſſiusculis. Poſt tertium plerumque geniculum flos enaſcitur rubeus et fructus in caulis ſummitate ſingularis, Rubi Idaei baccae ſimillimus, ſed minor et obscurius rubens, acinis plurimis conglomeratis, ſucculentis, ſucco rubicundo, ſemine in ſingulis ſingulari, fere reniformi, albido. Ruthenis Knaesnitza, id eſt Rubus nobilis, dicitur. Plerumque in cespitibus lichenoſis et muscoſis ſaxorum in montanis ad Ieniſeam fluuium reperitur. Meſſerſchmid.

Hic procul dubio eſt Rubus humilis, flore purpureo Buxbaum. Cent. V. et Rubus caule vnifloro, foliis ternatis Linnaei Flor. Lappon. N. 207. Tab. V. F. 2. In ſyluis vdis Ingriae et Careliae quoque occurrit.

264. SPIRAEA Sorbi folio, tenuiter crenato, floribus in thyrſo albis Meſſerſchm.

Frutex eſt hominis proceritatem raro attingens, rariſſime ſuperans, ſtipitibus tenuibus, digitum fere craſſis, lentis, cortice tenui, fuſco, glabro veſtitis, materie lignoſa, alba, dura, medulla calami columbini craſſitie, fungoſa, ſubrufa vel rubiginoſa, non geniculatis, in ramulos alternatim ſingulares diuaricatis. Folia habet ad caulem et ramulos in coſtula ad exortum auriculata; ex aduerſo bina, pluries conjugata, claudente impari, Sorbi ſimilia, oblonga, vtrinque acuta, ambitu laxius crenata, crenis vero ſeorſim ſubtiliſſime ſerratis, glabris, ſaturate viridibus, ſubtus pallidioribus, venulis ad neruum oblique, inter ſe autem parallele poſitis, quam in Sorbo extantioribus: Flores in caulis et ramulorum faſtigio in breues racemulos complures ſpicatim digeſtos, collectos, paruulos, albos, roſaceos, pentapetalos, ſtaminulis in vmbilico copioſis, breuiusculis praeditos, quorum piſtillum abit in capitulum ex quinque corniculis compoſitum, longioribus paulo quam in Spiraea Salicis folio, ſeminaque minutula plurima fundentibus, calyce quinquefido poſt petala decidua inſidentibus, et ſtaminum emarcidorum velut corona cinctis. In ſyluis vliginoſis frequens ad Ieniſeam fluuium occurrit. Merſſerſchm.

Eandem Gmelinus ad omnes fluuios trans Baikal lacum paſſim ſub finem Iulii menſis florentem obſeruauit.

265. SPIRAEA Salicis folio longiore, ſerrato, floribus rubris Meſſerſchm.

Haec

Haec eadem eſt cum Spiraea Salicis folio Inſt. r. h. Meſſerſchmidii autem deſcriptionem in loco natali exaratam hic damus, quia Cluſiana multo eſt praestantior. Illa vero ſic ſe habet: frutex eſt ample radicatus, caulibus vel ſtipitibus a radice vna pluribus exſurgens, rectis, parum ramoſis, non geniculatis, cortice foris fuſca epidermide, tenui, ſua ſponte vbique disrumpente, tectis, ſub eadem albente pariter tenui, cute intima ſeu libro ſaturate viridi, materie alba, mediocriter dura et compacta conſtantibus, intus fiſtuloſis ſeu cauis, a radice aliquousque plerumque inanibus, ſub progreſſum verſus faſtigium medulla ſpongioſa, alba, tenui, farctis; foliis circa caules alternis, e quorum tamen alis alia plerumque exſurgunt, vel bina vel terna, vel quaterna ſimul prorumpentia, minora primariis, ſaepe quinque pollices longis, ſescunciam latis, vtroque extremo acutis, ſalignorum ſatis ſimilibus, ambitu profunde ſerratis, neruo ante telam breuiſſimo ſpatio nudo petiolum praeſtante, ab auerſa folii facie parumper prominulo, tenui, venulis a neruo ſub angulo acuto oblique ſurſum ad peripheriam tendentibus ſubtilioribus, tela membranacea ſicciore, rigidiuſcula tenuique, ſaturate viridi, penitus glabra, modicum ſplendente, ab auerſa facie dilucidius virenti, pariter laeui; florum thyrſulis in cacumine caulium vbique e foliorum ſingulis alis ſingulis; flore in thyrſulis numeroſiſſimo, aliarum Spiraearum ſimili, paruulo, petioloque breui, capillari fulto, roſaceo, pentapetalo, rubello, calyci quinquefido, turgidiuſculo inſidente, ſtaminibusque circa piſtillum innumeris, longiuſculis, capillaribus praedito;

 piſtil-

piſtillo abeunte in fructum e quinque plerumque ſilicu-
lis vel corniculis ſibi mutuo lateraliter adcumbentibus, atque ſub maturitatem apice hiſcentibus, compoſitum; ſemine in ſiliculis minutulo, rufo, parumper oblongato. Ad Ieniſeam et Keth fluuios occurrit.

266. SPIRAEA Salicis folio breuiore, latiuſculo, crenato, floribus rubris Meſſerſchm. Tab. XXVIII.

Hujus iconem et deſcriptionem Gmelinus miſit. Deſcriptio haec eſt: radix in duo plerumque capita diuiſa, externe fuſca, cinereaue, interne luteſcens, lignea, paucis fibris ſtipata, nouem aut decem emittit virgas tenues, calami ſcriptorii craſſitiem non multum excedentes, cinereas, hinc inde ruſeſcentes, cubitales vel bicubitales. Caeterum cum Spiraea vulgari conuenit, ſi excipias folia, quae in hac majora ſunt, vtrinque pulchre viridia, inferne ſaltem parum pallidiora. Ad Tſchitam, Ingodam, Schilkam et circa Argunienſes officinas naſcitur.

Meſſerſchmidius ad Ienizeam et Keth fluuios cum praecedenti, cujus forte tantum varietas eſt, reperit. Idem in Diario ſuo refert hanc et praecedentem a Ruthenis et Tataris iſtorum fluuiorum accolis Tawalgah vocari.

267. SPIRAEA foliis variis, per faſciculos congeſtis Gmel.

E radice digitum craſſa, profunde in terra haerente et fibras tenues ſatis copioſas emittente, foris luteſcente, cortice interno rubente, in interna ſubſtantia albente

albente, duae treſue ſurgunt virgae luteſcentes ruben-teſue, cinereo colore dilutae, bicubitales aut tricubita-les, minimum digitum craſſae, circa mediam altitudi-nem in brachia ſine vllo ordine diuiſae, ſpicis denſis florum alborum, ſex petalis circum ſcriptione rotundis con-ſtantium et pluribus albis ſtaminibus, apicibus luteis in-ſtructis, ornatorum terminata. Piſtillum ſexangulare in-ferius circulo violaceo cingitur et in fructum abit ſex vaginulis conflatum. Folia in ramis interdum ſingula-ribus per faſciculos quatuor quinque aut ſex congeſta ſunt, minora, rotundiuſcula, vtrinque eleganter viridia, neruoſa, quaedam integra, quaedam crenata. In mon-toſis Selengiae vrbis primo vere florentem vidi. Gmel.

In ramis ſiccis, quos Gmelinus Selengia miſit, floſculi in ſummis ramulis ex eodem cum foliolis ex-ortu egrediebantur quatuor vtplurimum, ſinguli pedicu-lis inſidentes duas aut tres lineas longis. Folia ex vno puncto plura vix vnciae trientem longa, lineam cum dimidia lata, vtrinque anguſta erant, vtplurimum inte-gra, ſubinde apicem verſus obtuſe crenata, molliſſima et tenuiſſima hirſutie pubeſcentia.

268. *SPIRAEA* foliis variis, hirſutis.

Frutex eſt bicubitalis aut tricubitalis altitudinis, caudice, prope radicem digitum craſſo, cinereo-fuſco, mox in quam plurimos ramos ramuloſque diuiſo. Fo-lia inferiora ſeſcunciam longa ſunt, ad baſin anguſtiſſi-ma, medium verſus vnciae trientem vel dimidiam par-tem lata, mollia, vtrinque leuiter hirſuta, in ambitu vtplurimum dentata; ſuperiora vero multo ſunt breui-

 ora

ora, anguſtiora, minime dentata, Spiraeae Hyperici folio, non crenato Inſt. r. h. ſimilia. E ſuperioribus ramis, non raro pedalibus aut ſeſquipedalibus, per totam longitudinem ramuli exeunt creberrimi, deorſum vtplurimum inflexi, foliolis plurimis veſtiti, ſeſcunciales, extremum verſus in decem plus minus petiolos tenuiſſimos, lineas duas cum dimidia circiter longos, vmbellae in modum expanſi, quorum ſinguli floſculum gerunt, paruum, album, pentapetalum, pluribus ſtaminibus apicibus luteis onuſtis praeditum, calyculo breui, quinquefido inſidentem; quos fructus ſequuntur congeneribus analogi.

In Sibiria ad Irtim fluuium Gmelinus, in deſertis Tanaim inter majorem et minorem ſitis A. Ribeiro Sanches, apud Baskiros Heinzelmanus raperit.

269. SPIRAEA Chamaedryos foliis.

Ramos haec habet praecedentis breuiores, anguloſos; folia ab vno exortu terna, quaterna aut quina, diuerſae magnitudinis, ad Chamaedryos folia quodammodo accedentia, vtrinque anguſtata, alia vnciam, alia dimidiam, alia trientem vnciae longa, dimidium pollicem lata, aut pro ratione longitudinis anguſtiora, ſuperne laete viridia, prorſus glabra, inferne pallidiora, in ambitu argute dentata, in acutiſſimum apicem terminata; flores praecedentis majores, albos, copioſiores, in vmbellas diſpoſitos, ramulis vncialibus aut ſeſcuncialibus, anguloſis, fuſcis et foliis reliquis ſimilibus veſtitis, ex foliorum ſinubus per totam ramorum longitudinem ortum ducentibus.

In

In Dauria naſcitur, vnde Gmelinus ſiccam miſit.

270. SPIRAEA Hyperici folio ampliori, modo integro, modo dentato.

Florum diſpoſitione, crescendique modo cum duabus praecedentibus conuenit: differt autem foliis oblongis, vnciam aut ſescunciam longis, pollicem fere latis, in baſi et apice obtuſis, modo integris, modo vno aut altero dente ad oras extremum verſus inſtructis, omnino glabris, flauo-viridi colore praeditis; floribus in vmbella copioſioribus, longioribus petiolis inſidentibus.

Gmelinus in montoſis pagi Serkowa in Orientali parte jugi montium Iablonnoi Chrebet dicti ſub initium Iunii menſis florentem legit.

Quantum differat e Spiraea Hispanica, Hyperici folio crenato Inſt. r. h. 618, videri poteſt ex deſcriptione et icone hujus, quae extant apud Barrelierum Obs. n. 1376, Icon. 564.

271. SPIRAEA ramoſiſſima, paruo ſubrotundo Opuli folio.

Ramoſior haec eſt omnibus praecedentibus, in quamplurimos ramos ramulosque teretes, breues, fuscos diuiſa, quibus adnascuntur alterno ordine foliola ſubrotunda, forma et diuiſura ad Opuli folia accedentia, ſed decuplo ad minus minora, ſuperne viridia, inferne cinerascentia; vtrinque glabra, vnciam praeter propter lata et longa. E ramulorum ſuperiorum alii adhuc minores prodeunt, foliolis ſimilibus ornati, in ſummitate geren-

tes-

tes paruam et tenuem admodum vmbellam ex floſcu-lis minutiſſimis roſaceis, pentapetalis, albis, ſingulis pe-diculis vnciae trientem longis, tenuiſſimis inſidentibus, compoſitam, quibus ſucceduut ſiliculae vt in congene-ribus, vix lineam longae.

Prope Baikal lacum Gmelinus obſeruauit.

272. ARMENIACA, Betulae folio et facie, fructu ex-ſucco. Tab. XXIX.

Haec a Meſſerſchmidio appellatur, aut potius breuiter ſic deſcribitur: Armeniaca Daurica, ſaxatilis, ſatiuae majoris folio ſerrato, acuminatiore, glabro, fruc-tu parum auellana majore, ſubrotundo, compreſſo, lae-ui, luteo-rubello, ab alterutro latere ſulcato, carne pau-ca, fibroſa, exſucca, acerba, non vesca oſſiculo du-riſſimo, glabro, nucleo ſubamaricante, veſco; Boelilaes-ſu Mongulis in Dauria, Borathis Boelaeſſu modo. Gmelinus eandem prolixius nomine Amygdaloidis Be-tulae foliis ita deſcribit: frutex eſt raro duos cubitos altitudine ſuperans, facie externa Betulam nascentem referens. E radice digitum craſſa et in aliquot capita diuiſa, fibrillisque quibusdam capillata, foris fusca, cor-tice interno caccinea, et hinc extremo cortice rupto excrescentiis coccineis interdum nodoſa, interne alba, lignoſa, tres, quatuor, quinque aut ſex ſurgunt virgae, digitum minorem craſſae, cortice e fusco cinereo tec-tae, octo circiter pollicum altitudine nullos, poſtea multos ſine ordine ad ſummum vsque ramos emittentes, inferius nudos, poſtea varie iterum diuiſos, et foliis

Betu-

Betulae folia conſiſtentia et neruis imitantibus, paulo tamen pallidioribus, pendulis pediculis ſemuncialibus ſuffultis, ſtipatos. Extremi ſurculi et pediculi foliorum eleganter rubent. Flores eo tempore, quo ego in Argunienſibus regionibus verſatus ſum, jam defloruerant, quidam tamen a frigore correpti ad plenam perfectionem non peruenerunt, e quorum reliquiis ſtructuram ſatis dilucide dignoſcere potui; ſunt vero albi, pentapetali, parui, pluribus ſtaminibus apicibus latiuſculis inſtructis in medio ornati, et calyce ſquamoſo, calyci Chamaerhododendri analogo inſident. Enaſcuntur hi flosculi vel ex ramulis ſingularibus alternatim, vel ad exortum et in alis fere ramorum, vbi foliis non impediti ſunt. Diſpoſitionem hanc ſurculi floriferi ſub litera A expreſſa figura demonſtrat. Singulis floribus fructus ſuccedit, nullo aut breuiſſimo admodum pediculo nixus, facillime deciduus, ouatus, vtrinque compreſſus, ſecundum longitudinem ſulcatus, initio viridis, poſtea e caeruleo rubescens a, glaber, ſenſim et ſenſim molli lanugine tectus, ex altera parte eleganter rubens, ex altera flauus b, molliusculus, acido auſterus, plena tamen maturitate ſiccus plane et bifariam dehiscens in duo haemisphaeria c, inter quae oſſiculum continetur Armeniacae oſſiculo ſimile, nulceo d foetum, Perſicae vel Armeniacae ſaporis. Flores, vti percepi, primo vere prodeunt; fructum immaturum in montoſis Argunienſium officinarum menſe Iulio, maturum in montoſis Agae amnis et Ononis fluuii conſpexi.

Meſſerſchmidius quoque iisdem in locis et praeterea ad Anggidah ſeu Ingoda fluuium et prope Dalai Nor in vlterioris Dauriae finibus reperit. Rutheni Argunienſium officinarum, inquit Gmelinus, ob neſcio quam ſimilitudinem cum Pruno Черносливъ, Tunguſi ſuperiorum Ononis regionum, mutuato a Mogulis nomine, Iike ding i. e. lautus cibus, Tunguſi vero ad Agam amniem vagantes Builefing vocant, omnesque hae gentes nucleos hujus fruticis comedunt.

273. ARMENIACA Perſicae foliis, fructu exſucco, villoſo. Tab. XXX.

Et hanc quoque Gmelinus ſequentibus deſcribit verbis: radix digitum craſſa, lignoſa, tuberoſa, nonnunquam in duas partes diuiſa, foris fuſca, in interiori corticis ſuperficie e fuſco rubens, in meditullio rubicunda, fibrillas aliquot emittit, et dimidium pedem longitudine aequat. Ex ea vnicus, interdum duo caudices ſurgunt. Caudex bicubitalem altitudinem raro ſuperans, coloris fuſci et cinerei, calami ſcriptorii craſſitie, vbi ad dimidiam fere altitudinem peruenit, ramos plurimos, breuibus interuallis a ſe inuicem diſtantes, nec in alios ſubdiuiſos, coloris e fuſco ad luteum vergentis emittit, foliis anguſtis, oblongis, leuiter crenatis, firmis, auerſa parte paulo pallidioribus, ſtipatos. Ramulis in omnibus fere locis, vbi folia egrediuntur, fructus adnaſcuntur bini plerumque ſimul, ex rotundo depreſſi, lentis figura, breuiſſimis pediculis, nec vnquam duas lineas excedentibus innixi. Externum fructus involucrum callum puluinatum Amygdali

dali referens, externe e luteo albens, interne rubens eſt, rubenti quodam ſucco per totam ejus ſubſtantiam diffuſo. Quando ad maturitatem peruenit leui manuum attactu in duas partes aequales perpendiculariter findi-tur, et quo maturior fructus, eo ſiccius et firmius eſt. Sub inuolucro oſſiculum a T. XXX. latet, cui leuiſ-ſimi quidam ſulci inſculpti ſunt, inferius latum, ſuperius in obtuſum mucronem deſinens, vtrinque conuexum, nuc-leo b, qui tertiam partem fructus conſtituit, foetum ejusdem formae, licet inferius a figura circulari paulo deficiat, externe e luteo fusco, interne albo, ſapore nuclei Perſicae. Tota planta guſtus auſteri eſt, radix inprimis. Florem non vidi, at fructus copioſe proferebat inter Bereſowka et Gluboka amnes, 36 leuc. infra Vſt-Kameno Gorenſe fortalitium ad viam, quae verſus ſep-tem Palatia ducit. A Ruthenis ibi degentibus vocatur Калмыцкїе орѣхи.

In deſertis Aſtracanenſis Regni, hinc inde ad Volgae ripam, ad Tanaim, in Baskirorum et Kirgiſi-orum Tatarorum regionibus, ad laicum flumen, vnde Heinzelmanus attulit, copioſe quoque naſcitur. Fructus pilis rigidiusculis, albentibus, creberrimis in totum fere obtegitur. Ramuli teneri plantarum juniorum, quae mihi e ſatis oſſiculis enatae ſunt, foliis veſtiti erant ternis ſemper ab vno exortu ſine pediculis egredienti-bus, diuerſae magnitudinis, quorum medium lateralibus reliquis decuplo fere majus erat.

274. CRATAEGUS Ceraſi foliis, floribus magnis Tab. XXXI.

 Hujus

Hujus iconem Meſſerſchmidius in Xen. Iſid. Sibiricae exhibuit, vocauitque Malum Dauricam montanam, magno flore albo, fructu Ceraſoide exiguo, luteolo-rubro, auſtero, per maturitatem acido, petiolo praelongo, tenui; Oeroel vel Vrul modo Mogulis in Dauria, Tanjutis Waſſi. Eandem in Diario ſuo ſub titulo Ceraſo-Mali vel Malo-Ceraſi Dauricae, montanae, flore albo, fructu in praelongis petiolis confertim naſcente, foris et intus rubro, ſequentibus deſcribit verbis: radice nititur profunde demiſſa atque in propagines a latere protenſa: caudice eſt breui, vix pedes tres quatuorue alto, brachio humano rarius craſſiore, plerumque tortuoſo, corticeque in rimas et fiſſuras dehiſcente, ſcabro, cinereo, in junioribus tamen et ramis quoque ſubfusco viridi, glabro, ſaligno cortici fere ſimili, materie alba, dura, ſolidaque, non tamen ſub aquis mergente, medulla perexigua, ſubalbida: fronde in ſphaericitatem propemodum ſeptempedalis diametri quaquaverſum late ſparſa, admodum ramoſa, denſa et minus patula: foliis ad Ceraſi folia accedentibus ſubrotundis vel ouatis potius, in cuspidem ſinuatum, breuiusculum acuminatis, ambitu tenuiter ſerrato, ſaturate viridibus, parumper ſplendentibus, ab auerſa pallidis, vtrinque glabris, neruo praeditis tenui, venulisque a neruo ad angulum acutum diuergentibus, capillaribus, tenuiſſimis, pallidis, pediculo praelongo folii fere neruum aequante, tenui, nudo fultis, plerumque confertim germinantibus, pendulisque: flore e foliorum alis ab eodem germine pariter confertim prorumpente terno, quaterno vel quino, petiolo ſigillatim

longi-

longiuſculo foliorum pediculum aequante fulto, roſaceo, pentapetalo, candido, ſtaminibus longiuſculis, albis, plurimis apiculis luteis donatis; piſtillo pentacerato, corniculis tenuibus, viridiuſculis, longis praedito; petalis majuſculis, foliorum Vitis Idaeae rubrae magnitudine, albis; calyce quinquefido, abeunte in fructum carnoſum, humidum, globoſo-ouatum, baccae Lauri molem vix aſſequentem, cuticula membranacea, tenui, glabra, ſplendidaque tectum, altero ſui extremo circa petiolum vix ac ne vix concauum, altero in vmbillicum circinatae rotunditatis terminatum, non folioſum, fuſcum, leuiter excauatum, carne intus praeditum pauca, ſucculenta, in cujus medio loculamenta membranacea, plerumque quina, circa axin ordinata, in quorum ſingulis ſemina calloſa, oblonga et anguſta, bina ſibi mutuo accumbentia. Fructus e viriditate ſub maturatione ſenſim magis magisque rubens, ſucco pariter rubeo linteum inficiente donatur. Rutheni in Dauria potum ex his fructibus parant, quem Quas vocant; fructus iisdem Iabliki, id eſt poma, audiunt. Menſe Iulio ad Schilkam fluuium repèrit Meſſerſchmidius.

275. RIBES polycarpos, Groſſulariae fructu Gmel.

Solum amat vliginoſum, quapropter etiam Моховая смородина Ruſſice vocatur. Caules fert humifuſos pedales aut cubitales, teneros, ſpinis omnino orbos; folia Groſſulariae inſtar anguloſa, ſed latiora et multo ampliora, intenſe viridia; baccas quinque aut ſex

vni ramulo racematim affixas, facile deciduas, magnitudine baccarum Groſſulariae vulgaris, colore etiam earum inſtar tinctas viridi, e viridi luteſcente, et viridi rubente interdum.

Ad Argunum fluuium octo leucas ſupra Argunienſe munimentum, baccas maturas collegi ſub medium Iunii menſis. Gmel.

276. GROSSULARIA Daurica, montana, Vuae criſpae folio et facie, fructu Ribes in racemulis conglobatis, rubro, minore, ſubdulci Meſſerſchm.

Teſte eodem vocatur a Mogulis in Dauria Oergaen, a Tanjutis Rambu, fructus ſeorſim iisdem audit Rambu-ngugſchung. Circa Nerzinskoy vrbem ad Nerzae fluuii oſtium reperit Auctor. Gmelinus ſiccam miſit in montoſis Selengae et Vdae lectam, breuiterque ſic deſcripſit: folia ſunt vti vulgaris Groſſulariae ſimplici acino C. B. P. ſed ſpinae ſubſunt ſingulis foliis mox ſolitariae, mox binae, interdum etiam tres; rubentes; fructus colore et magnitudine Ribeſii vulgaris rubri fructui plane ſimiles, ſaporis vero acerbi, in dulcem magis quam acidum inclinantis. Primo vere floret, menſe autem Auguſto baccas maturas fert.

277. CORNUS ſylueſtris, fructu albo Gmelin. Tab. XXXII.

E radice lignoſa, roſas aliquanto redolente, inumeris fibris ſtipata, extus nigricante, intus alba,

caudex ſurgit pollicis craſſitie, hominis altitudine, ad duos ab exortu cubitos in brachia plura per interualla diuiſus et foliis per ſatis longa interualla, ſuperius atro viridibus, inferius ex albo virentibus, foliorum Corni foeminae analogis, binis plerumque ex aduerſo poſitis, veſtitus. In ſummo ſingulorum ramorum flores a T. XXXIF. prodeunt, in vmbellam diſpoſiti, tetrapetali, nudi, albi, ſtaminibus totidem albis, apicibus luteolis inſtructis, ornati. Piſtillum autem ſumma parte paululum turgidius, ima parte in fructum b' abit oblongum, ouatum, minorem, album, cujus pulpa lac colore et tantum non conſiſtentia refert, ſaporis acerbi et acidiuſculi, oſſiculum c continens majuſculum, fragile, ejuſdem fere formae, in vtraque ſuperficie leuiter ſulcatum, ſemine d minori, oblongo, tunica cartilaginea cincto, extus fuſco, intus albo, farctum. Tam caudicis quam viminum, praecipue aridorum, color plerumque eleganter rubet; vidi tamen etiam colorem e viridi luteſcentem ſine vlla rubedine inductum. Ruthenis dicitur Kypacлbɪнникb.

Tobolio ad Iſchim vsque fluuium ſub initium menſis Iunii florentem, circa Kusneziam vrbem menſe Septembri fructus maturos proferentem reperi. Gallinas a viminibus hujus fruticis in loco ipſis familiari repoſitis caecari, Tobolienſium traditio eſt. Mihi experimentum non ſucceſſit. Ratio ſaltem Ruſſici nominis inde patet. Gmel.

Meſſerſchmidio eadem audit: Cornus foemina ſeu virga ſanguinea, baccis albis racematim haerentibus

rentibus, ſucco lactescente plenis. Inter Saganskoe et Abacanskoe munimenta ad Ieniſeam fluuium obſeruauit Meſſerſchm.

278. CORNUS foliis Citri anguſtioribus Gmel. Tab. XXXIII.

Padum modo crescendi et ſtatura refert. Radix in plura capita diuiſa, non admodum profunde radicata, innumeris fibris ſtipata, cortice externo e fusco nigrescens, interno flaua, reliqua ſubſtantia alba, tenax. Caudex breui poſt exortum inſtar Padi in brachia et ramos diuiſus, foliis numeroſis, oblongis, tres aut quatuor vncias longis, Citri folia neruis referentibus, obscure viridibus, ſubtus paulo dilutioribus ſtipatos. E foliorum alis pediculi tres, quatuor, quinque aut ſex, ſemunciales, viridis coloris egrediuntur, ſinguli baccam ſuſtinentes exſuccam, rotundam, per medium ſulcatam, duplici oſſiculo foetam, ſingula vero oſſicula nucleum continent ejusdem formae. Baccae maturae Ceraſorum colore gaudere dicuntur; flores vero albo. Cortex caudicis et brachiorum ſcaber, per longitudinem fiſſus, externe cinerascens, interne flauus eſt. Lignum in interiori ſubſtantia dilute rubet. Figura ramulum hujus arboris exhibet.

Quoniam lignum aquae per coctionem dilutam rubedinem conciliat, Ruthenis Santal dicitur. Incolae eo ad manubria cultellorum vtuntur; durum enim eſt et tenax, pondere vero Santalo inferius. In locis hu-

mectis

mectis meridionalis Arguni fluuii litoris, aliquot leucas ſupra munimentum Argunienſe cum Pado laete prouenit. Audiui in Occidentali etiam Schilkae litore non procul ab oſtio ejus in Amur fluuium prouenire. Gmel.

Si reuera hujus fructus duplex contineant oſſiculum et ſingula oſſicula vnico tantum foeta ſint nucleo, ad Corni genus non pertinet, cujus fructus vnico oſſiculo praeditus eſt in duo loculamenta diuiſo.

279. MESPILUS folio rotundiori, non ſerrato, fructu nigro. Tab. XXXIV.

Eſt Mespilus montana, folio ſubrotundo, lanato, rubello, flore exiguo, fructu in racemulis exſucco, non vesco, nigro, Sibirica Meſſerſchm. Xen. Iſid. Sibir. In ejusdem Diario ſequentibus verbis deſcriptam reperi: Mespiloides folio ouato, non ſerrato, ſubtus lanuginoſo, fructu in racemulis nigro, frutex vel arbuscula raro hominis ſtatura elatior, radice nititur quaquauerſum diffuſa, profundiuscule demiſſa, caudice admodum breui, tortuoſo, ſtolonibusque dedecorato; cortice plerumque glabro, partim ſubrubente vel rufo, partim fusco; materie ſolida, dura, alba, aqua ſpecifice leuiori; medulla prorſus nulla, ſaltem ad oculum non comparente: fronde in ſphaericitatem propemodum quinquepedalis diametri diffuſa, ramoſa, denſa et minus patula: foliis ramos aeque ac ſurculos per breuia interualla denſe obſidentibus, ſigillatim alternis, petiolo breuiſſimo, craſſiusculo fultis, ad angulum acutum plerumque arrectis, ouatis, ambitu integro, ne hilum ſerrato, apice quoque obtuſo, nec niſi rarius et leuiter

acuminato praeditis, ſaturate viridibus, glabris, ab auerſa leui lanugine albentibus, incanis, neruo craſſiuſculo, venulisque ad neruum ſub angulo acuto conuergentibus, inter ſe parallelis donatis, tactu mollibus, ſiccioribus tamen neque facile emarcidis: germinibus ad ſingulorum foliorum alas exiguis altero vere noua folia promentibus: floſculis e foliorum alis in breui admodum racemulo quaternis vel quinis, raro ſenis vel ſeptenis, exiguis, in ſubrubeo albis, roſaceis, pentapetalis, calyculo integro, nec niſi in exiguas laciniolas leuiter fiſſo inſidentibus; in quorum meditullio piſtillum e calyce ſurgit, ſtaminibus breuiſſimis calycis parietes obſidentibus, velut corona, cinctum: calyx autem laciniolis ſuis poſt petalorum defluxum ad centrum conuergendo ſtaminula reſidua contegentibus abit in fructum ſeu baccam globoſam, circa petiolum leuiter excauatam, altero ſui extremo vmbilicatam, minime tamen coronatam, ſub cuticula tenui, glabra, primum viridi, mox obſcure rubra, tandem nigra, mollem, carnoſam, leuiter ſuccidam, carne pauca, ſucco limpido non inficiente, vnicapſularem, ſeminibusque in meditullio foetam ſaepe ternis, plerumque vero quaternis, rariſſime binis oſſiculis, oblongis, trilateris, in ſubflauo albis, binis internis lateribus vel in angulum obtuſum, vbi terna fuerint ſemina, vel in angulum rectum, vbi quaterna, conuergentibus, planis, externo conuexo, vnguiculi fere humani inferne, ſua ſuperne reduuia vel corona fimbriaue cincti, faciem referente ſeu Onychide, nucleum ſub putamine duriuſculo includentibus vnicum, ſuo putamini conformem, album. Nec odor toti arbuscu-

busculae, nec euidens ſapor baccarum niſi herbaceus deprehenditur. In conuallibus vliginoſis ad Schilkam et Ononem fluuios Dauriae frequens eſt. A Kyſtim Tataris ad Kara-Yius Yrgei vocatur, a Ruthenis vero Gruſchina. In montoſis fortalitii Vſt-Kameno-Gorenſis menſe Auguſto baccas maturas ferentem obſeruauit Gmelinus. Heinzelmanus in Kirgiſiorum Tatarorum deſertis quoque reperit.

280. GENISTA non aculeata, flore albo, ſiliquis ſplendentibus, verrucoſis Meſſerſchm.

Ad Byr fluuium in deſertis inuenitur menſe Auguſto.

281. CYTISUS ſaxatilis, Meliloti folio, ad caulem appreſſo, floribus in foliorum alis, pluribus conſertim, exiguis, albidis Meſſerſchm.

Ad Makarowa riuum prope Nerzinskoi oppidum in Dauria reperit auctor.

ASPHALATUS

ASPHALATUS eſt plantae genus flore papilionaceo, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam vnicapſularem, teretem vtplurimum, ſeminibus foetam fere cylindraceis. His notis addenda ſunt folia per conjugationes coſtae in aculeum abeunti affixa ſine impari in extremo; flores ſinguli ſingu-

lis pediculis innixi e tuberculis ramulorum ortum ducentes.

282. ASPHALATUS frutescens, minor, anguſtifolius, cortice aureo. Tab. XXXV.

E radice calamum ſcriptorium craſſa, ad dimidiam vsque orgyiam in terra transuerſim repente, pauciſſimis fibris ſtipata, cortice fusco tecta, intus candida, materiae tenacis, ſaporis Glycirrhizae analogi, fruticulus ſurgit, pedalis plerumque, cubitalis etiam, interdum bicubitalis, virgis in humilioribus plantis tenuibus, in iis, quae laetius crescunt, caudice digitum minorem craſſo, cortice e viridi aureo, glabro et ſplendente, cui ſubeſt eleganter viridis, tecto, qui mox in varia brachia tenuiora, ad exortum aureo quoque colore ſplendentia, haecque in multos ramos tenuiſſimos, recta fere ascendentes diuiduntur. Brachia per breuia, rami per breuiora interualla ad ſummum vsque foliis veſtiuntur, in planta loco ſteriliori nascente anguſtiſſimis, ſubrotunda extremitate terminatis, in aliis lineam aut duas latis, vnciam plus minus in vtroque genere longis, nullis pediculis ſuſtentatis, vtrinque viridibus, in adulta planta aliqualiter canescentibus, tribus, quatuor immo et octo ex eodem loco oriundis, quorum ſingulis fasciculis ſubſunt tres ſpinulae, quartam partem pollicis longae, tenues, ſed fortiter pungentes, albicantes, intra quas vnus, rariſſime duo, pedicellus tenuis, dimidium fere pollicem longus exit, florem ſustinens flauum, papilionaceum, calyce tubuloſo, ſuperius in quinque partes ſecto, fultum, cui ſuccedit ſiliqua a. T. XXXV. ſesquipollicem longa, anguſta, acuto mucrone

rone terminata turgidiuſcula, biualuis, ſemina continens oblonga,per maturitatem fuſca, aut e fuſco et lutescente colore variegata. Maturae ſiliquae ſponte aperiuntur, ſeminibusque effuſis helicis in modum contorquentur. Gmel.

In campis Vdinienſibus et Selengienſibus, in montoſis quoque Selengae et Vdae fluuiis Argunique frequens eſt, menſe Iunio florens et Auguſto fructum perficiens. Inueni etiam menſe Auguſto tam flores quam fructus in eodem ſurculo, et ex hoc ſpecimine figuram delineari curaui, cui ramulus inſuper aridus foliis orbus appictus eſt, vt ſpinulae diſtincte appareant. Ruthenis Золотарникъ, Buratis Altagana dicitur. Id.

Haec eſt deſcriptio plantae adultae, in qua foliorum diſpoſitio plane alia eſſe videtur, quam in juniori; in hac enim, vti ſaepius in ſpeciminibus, quae ex ſatis a Gmelino miſſis ſeminibus enata ſunt, obſeruaui folia, non vt ſupra dictum eſt, ab vno exortu tria, quatuor aut octo ſubinde egrediuntur, ſed reuera pinnata ſunt, ex duabus pinnarum conjugationibus coſtulae breui in aculeum abeunti adhaerentibus ſine impari in extremo, compoſita. Ex horum foliorum alis deinde progreſſu temporis alia oriuntur breuiſſimis coſtulis praedita, quae delapſis prioribus, reſidua tantum coſtula aculeata, ex vno quaſi puncto ſine pediculis aut coſtis oriri videntur. Coſtae non decidunt, ſed remanentes anno ſequenti ſpinas aemulantur. Eſt forte Geniſta-Spartium foliolis Gallii pluribus et aculeis ternis, quaternis, paruulis, conſertis, flore luteo Messerſchmid.

 283. ASPHA-

283. ASPHALATUS frutescens, major, latifolius, cortice aureo.

Frutex eſt praecendenti elatior et robuſtior, ramulis praeditus craſſioribus et breuioribus, ſtriatis, ſuperius cinereo cortice obductis, e quorum lateribus folia creberrima, ramulos fere obtegentia nullo ordine enascuntur, pinnata, ex duabus itidem pinnarum conjugationibus coſtulae tereti, lineam vnam, duas aut tres longae adnatis, compoſita. Pinnae hae ad tam breuia interualla coſtulae mediae, quae in aculeum, vti in praecedenti, terminatur, adhaerent, vt ex vno quaſi puncto egredi videantur; ſingulae vnciam plus minus longae ſunt, ad baſin valde anguſtae, apicem verſus trientem circiter vnciae vel dimidium pollicem latae, neruoſae, virides, glabrae vtrinque, in mucronem acutiſſimum et tenuiſſimum terminatae. Vnicuique porro coſtae ad baſin adnascuntur ſpinulae binae acutiſſimae, duas aut tres lineas longae. In annoſis ramis puncta, vnde folia et ſpinulae ortum ducunt, in tubercula eleuantur, e quibus per totam fere longitudinem tam folia quam flores modo ſingulares, modo bini, terni aut quaterni, ſubinde quoque et noui ſurculi oriuntur. Singuli flores pediculis innascuntur, vnciam plus minus longis, valde tenuibus, teretibus, cinereis, ſuntque papilionacei, lutei, praecedentis multo majores, ex vexillo erecto, ſubrotundo, dimidium pollicem longo, et alis latiusculis, quae fere eandem cum vexillo longitudinem habent, atque carina ampla cochlearis inſtar profunde excauata et ſurſum reflexa compoſiti. Piſtillum, quod vt in reliquis hujus claſſis generibus, vagina ſuper-

ne-

ne in ſtamina expanſa obuolutum eſt, marcescentibus floribus in ſiliquam excreſcit teretem, gracilem, vix lineas duas latam, ſescunciam longam, fuscam, laeuem, duram, pendulam vtplurimum, in tenuem rectumque mucronem exeuntem, quae ſemina continet cylindrica rubentia.

In deſerto Vſenſi et in campis circa Samaram vrbem lectam tam florentem quam fructus ferentem mecum communicauit Heinzelmanus. E ſatis ab eodem acceptis ſeminibus plures nobis enatae ſunt plantae ſesquipedales aut bipedales, foliis crebris veſtitae, manifeſte pinnatis, quorum pinnae longiores, latiores et ad majora interualla in coſta diſpoſitae ſunt, quam illae, quae ramis ſiccis ex plantis adultis decerptis adnascebantur. Obſeruaui quoque in his plantis coſtas foliorum cum pinnis non decidere, ſed in ſpinas abire.

De hac Meſſerſchmidius in Xen. Iſid. Sibiric. Aldachaná Boratho-Mongolis, Chaſtak Kirgiſiae Tataris, Solotarnick Ruthenis, planta eſt ſui generis, Sibirica, fruticoſa, flore leguminoſo, folio quaterno, ſingulis pediculis innascente, in methodo Tournefortiana poſt Claſſis XXII. Sect. 2, noua ſectione recenſenda, generico ſectionis nomine Aldachana Daurica, cortice ſubflauo, aureo, ſplendente, flore luteo. In Thom fluuii tractibus per Kirgiſiam et in Vdae fluuii montanis in Dauria inuenitur.

Ob Ruthenica et Mogulica nomina, quae huic et praecedenti plantae communia ſunt, et corticem aureum, nemo facile erit, inquit Gmelinus in prioris deſcriptione, qui non concludet, me de eadem planta

loqui,

loqui, cujus Meſſerſchmidius iconem dedit. Accedit quod frutex hic in transbaikalenſibus regionibus nemini non notiſſimus ſit, ejusque vna tantum detur ſpecies. Verum conferenti iconem Meſſerſchmidii cum ea, quam ego ad viuum fieri curaui, praeter flores et ſiliquas, nulla patebit ſimilitudo. An ad Tom fluuium alia hujus generis crescat ſpecies, cujus forte iconem Meſſerſchmidius exhibuit, decernere nequeo, qui eas regiones aeſtate nondum frequentaui, ſed in Vdae montanis nullam aliam ſpeciem praeter hanc, praecedentem ſcilicet, crescere, certus ſum. Forte igitur vir Cl. iconem ſuam ad Tomum fluuium fecit et in transbaikalenſibus regionibus idem nomen Solotarnick audiens, eandem etiam plantam eſſe ſine vlteriori inueſtigatione credidit. Hactenus Gmelinus, cujus conjectura admodum probabilis videtur; in ſuo enim Diario Germanice conſcripto Meſſerſchmidius expreſſis verbis notat, hanc plantam Ruthenis ad Arbat Iabaſch, ad Abacan et Tom fluuiis degentibus, nullo omnino nomine deſignari. Refert ibidem apud Tataros hunc fruticem, quem Chaſteck vocant, ad vincula vel ligamina adhiberi, quia valde tenax et durus eſt; cortice exteriori praeditum eſſe laeui, fuluo, ſplendentique, interiori herbido; prope Tomskoe oppidum in monte tabulari ſic dicto copioſe prouenire. Figuram Meſſerſchmidii non exhibemus, quoniam valde manca et minus accurata eſt.

284. ASPHALATUS frutescens, latifolius, tomentoſus et incanus, ſiliqua inflata.

Duos

Duos hujus ſpeciei ramos ex Sibiria Gmelinus miſit, alterum annoſum, juniorem alterum. Annoſus pedalis erat longitudinis, cortice obductus fuluo, in quamplurimos ramulos diuiſus et ſubdiuiſus, creberrimis tuberculis oblongis, cinereis et ſquamoſis obſitos. E ſingulis hisce tuberculis folia oriebantur modo ſingularia, modo bina aut terna, ex duabus vtplurimum pinnarum conjugationibus, coſtulis lineas duas aut tres longis, teretibus et incanis, in tenuiſſimum aculeum abeuntibus, affixis. Singulae autem pinnae vnciam plus minus longae ſunt, anguſtae ad baſin, apicem verſus ſubrotundum et non raro in ſpinulam breuiſſimam terminatum, trientem vel quadrantem pollicis latae, incanae ſubtus praecipue, breuiſſimo et molliſſimo tomento cinereo obtectae. Circa eundem cum foliis exortum, ex iisdem nempe tuberculis hinc inde pediculi egrediebantur vnciales, rigidi, in apice flores gerentes papilionaceos, ſolitarios, quibus ſuccedebant ſiliquae pollicares, vtrinque anguſtatae, in medio trientem vnciae latae, rigidae, inflatae, per maturitatem dilute fuſcae, quae ſemina continebant plura, oblonga, flauescentia.

Alter, junior nempe ramus, ſupra deſcripto paullo longior erat, inferne e flauo rubens, ſuperne incanus et tomentoſus, rectus, non ramoſus, rigidus et ſtriatus, foliis alterno ordine ad ſemuncialia praeter propter interualla veſtitus, ex duabus aut tribus pinnarum conjugationibus coſtae mediae adhaerentibus, compoſitis. Coſtae inferiores vnciam cum dimidia plus minus longae, tomentoſae et incanae, in ſpinulam acu-

tiſſimam fuluam et glabram terminatae, ad exortum duobus breuibus aculeis praeditae erant. Singulae vero pinnae ex anguſta baſi paullatim latiores factae, vncia modo breuiores, modo longiores, neruoſae, rigidae, vtrinque incanae, in apicem deſinebant ſubrotundum, non raro cordatum, ſemunciam latum et mucrone in medio tenuiſſimo armatum.

285. ASPALATHUS arborescens, pinnis foliorum crebrioribus, oblongis.

Eſt Caragana vel Carachana Burato-Mogulis, Zachom Kirgiſiae Tataris; an Pſeudo-Acaciae ſpecies ſpinoſa, flore luteo, Sibirica. Circa Tomskoen et in Tom fluuii tractibus montanis ad aquarum ſubinde ripas, laetior etiam in Pinetis, Laricetis aridisque locis minus tamen vegeta inuenitur. Meſſerſchm.

A praecedentibus differt foliis ex quinque, ſex aut pluribus pinnarum conjugationibus, oblongis, vtrinque anguſtis, compoſitis; caudice et ramis craſſioribus, in ſatis proceram, ſi ſibi relinquitur, arborem excrescentibus; foliis et floribus ex vno tuberculo crebrioribus, longioribusque pediculis innascentibus. Hujus lignum, inquit Meſſerſchmidius in Diario ſuo, flammeis maculis diſtinctum, conficiendis ſcipionibus, Naſtos farctae loco Tomskoe oppidi incolis inſeruit. Ruthenis teſte Gmelino dicitur Гороховикъ. Pleniorem hujus deſcriptionem dabimus alio loco.

FINIS.

CYMBARIA.



Gentiana humilis, aquatica, verna.

Tab. II.



CHAMAEIASME radice Mandragorae.

Tab. III.



VALERIANA *lutea, humilis.*

Tab. IV.



VERONICA *ſpicata, altiſſima, fol. verticillatis.*

Tab. V.



CORIS juncea aphyllos.

Tab. VI.



CASSIDA montana, foliis oblongis, non crenatis.

Tab. VII.



f. 1.

MOLDAVICA *minor, canescens, Chamaedryos foliis.*



fig. 2

LATHYROIDES.



BALLOTE *inodora, foliis Coronopi.*

Tab. IX.



HYPECOON *tenuifolium, ſiliquis erectis, teretibus.*



ALSINE *Saxatilis, anguſto & oblongo Salicis folio, flore albo, tenuiſsime laciniato.*



ANACAMPSEROS, *flore flavo.*



HELLEBORUS *Fumariæ foliis.*



Ranunculus repens, flore in caule Singulari, Fol. varie Sectis.

RANUNCULUS *repens gramuneis foliis.*

PENTAPHYLLOIDES *humilis, foliis angustissimis.*



Tab. XVI. p. 85



Tab. XIV. p. 83.

FRAGARIA *Sterilis, procumbens, foliis Betonica instar serratis.*



PENTAPHYLLOIDES *foliis tenuiſsime laciniatis, floſculis carneis.*




PENTAPHYLLOIDES fruticoſa, elatior, minus hirſuta.

Tab. XVIII



f. 1.

PENTAPHYLLOIDES *fruticosa humilior, lanuginosa & incana.*



f. 2.

LIMONIUM *montanum humile, Ephedræ facie.*



ASTRAGALOIDES *floribus purpurascentibus.*

ASTRAGALOIDES *fl. carneis.*



FUMARIA *tenuifolia, floribus luteis.*

Tab. XXI.



CALCEOLUS purpureus, Speciosus.



CALCEOLUS minor, flore vario.

Tab. XXIII.



ABSINTHIUM *Tanaceti folio, odoratiſsimum.*



IACOBAEASTRUM Cacaliae fol.

Tab. XXV.
p. 173.



URTICA *foliis profunde laciniatis, ſemine Lini.*

Tab. XXVI



EPHEDRA *minima, flagellis brevioribus et tenuioribus.*

Tab. XXVII.



CHAMAERHODODENDROS *folio glabro, majuſculo, amplo, flore roſeo.*

Tab. XXVIII.




SPIRAEA Salicis fol. breviore, latiuſculo. crenato etc.

Tab. XXIX.



ARMENIACA *Betulae fol. et facie, fructu ex ſucco.*

Tab. XXX.



ARMENIACA *Perſicae foliis fructu ex ſucco, villoſo.*

Tab. XXXI.



CRATÆGUS Ceraſi foliis, floribus magnis.



CORNUS Sylvestris, fructu albo.



CORNUS *foliis Citri anguſtioribus.*

Tab. XXXIV.



MESPILUS folio rotundiori non ſerrato, fructu nigro.



ASPALATHUS *fruteſcens, minor, anguſtifolius, cortice aureo.*

INDEX NOMINUM PLANTARUM

n. numerum , p. paginam , t. tabulam denotat , f. figuram.

A.

Abrotanum procerum, tenuiſſimo Lini folio, floſculis exiguis, vix ſinapi ſemen ſuperantibus, luteis, inodorum. n. 201. p. 146.
Abrotanum procerum, Lini folio tenui, floſculis majoribus, inodorum. n. 202. p. 147.
Abrotanum pumilum, folio tenuiſſime laciniato, floſculis majoribus, odore Tanaceti valido. n. 203. p. 147.
Abſinthium Tanaceti folio, odoratiſſimum. n. 193. p. 142. t. 23.
Abſinthium Pimpinellae folio. n. 194. p. 143.
Abſinthium humile, Peucedani folio, corymbis aureis. n. 195. p. 144.
Abſinthium Scandicis folio, non ramoſum. n. 196. p. 145.
Abſinthium capillaceis foliis, floſculis aureis, denſiſſime congeſtis. n. 197. p. 145.
Abſinthium incanum, caule craſſo, foliis quam in Pontico tenuioribus, ſemine ſpadiceo. n. 198. p. 146.
Abſinthium perenne, pumilum, argenteum, folio tenuiter diſſecto, breui, ad caulem appreſſo, ſuaue odoro. n. 199. p. 146.
Abſinthium inſipidum, foliis ſingularibus, anguſtis, piloſum. n. 200. p. 146.
Acetoſa montana, folio cubitali, oblongatiore, criſpo, floribus in ſubuiridi luteolis. n. 226. p. 160.
Alſine ſaxatilis, anguſto et oblongo Salicis folio, flore albo tenuiſſime laciniato. n. 83. p. 64. t. 10.
Alſine pumila, Gallii facie, foliis glaucis. n. 84. p. 64.
Alſine viſcoſa, longiſſimis et anguſtiſſimis foliis. n. 85. p. 66.
Alſine glabra, longis gramineis foliis, floribus albis, vmbellatis. n. 86. p. 67.

Alſine graminifolia, ſaxatilis, flore paruo, tetrapetalo, albo. n. 87. p. 68.
Althaea foliis amplioribus, viridibus. n. 11. p. 8.
Amethyſtina. n. 70. p. 54.
Anacampſeros flore flauo. n. 96. p. 73. t. 11.
Androſace Coronopi foliis, glabra, flosculis ex verticilli folioſi vmbilico pluribus, albis. n. 22. p. 13.
Apium montanum, Seſeleos vmbella clauſa. n. 119. p. 93.
Arguzia. n. 38. p. 29.
Armeniaca Betulae folio et facie, fructu exſucco. n. 272. p. 192. t. 29.
Armeniaca Perſicae foliis, fructu exſucco, villoſo. n. 273. p. 194. t. 30.
Artemiſia foliis Cornu Cerui diuiſura laciniatis, rubra. n. 204. p. 147.
Asclepias montana, humilis, radice longius proſerpente, Lini foliis. n. 10. p. 8.
Aspalathus frutescens, minor, anguſtifolius, cortice aureo. n. 282. p. 204. t. 35.
Aspalathus frutescens, major, latifolius, cortice aureo. n. 283. p. 206.
Aspalathus frutescens latifolius, tomentoſus et incanus, ſiliqua inflata. n. 284. p. 208.
Aspalathus arborescens, pinnis foliorum crebrioribus, oblongis. n. 285. p. 210.
After acaulos, hirſutus, caeruleus, Bellidis foliis. n. 214. p. 152.
After acaulos, albus, foliis gramineis. n. 215. p. 152.
After pumilus, anguſto Linariae folio, floribus magnis, caeruleis. n. 216. p. 153.
After anguſto Linariae folio, floribus luteis. n. 217. p. 153.
After Linariae foliis, monanthos, purpureus. n. 218. p. 154.
Aſtragalus Galegae foliis, floris ſpicatis, purpurascentibus, ſiliquis glabris. n. 161. p. 120.
Aſtragalus ſyluaticus, montanus, procerior, albo flore, ſiliqua breui, glabra, ſemine luteo. n. 162. p. 122.
Aſtragalus ſaxatilis, floribus albis, in ſpicam breuem digeſtis, ſiliqua hirſuta. n. 163. p. 122.
Aſtragalus hirſutus, procumbens, Viciae foliis cordatis, ſiliquis incuruis n. 164. p. 123.
Aſtragalus humilis, Viciae folio oblongo et anguſto, purpureus, ſiliquis conglomeratis, longiusculis, ſubhirſutis. n. 165. p. 124.
Aſtragalus villoſus, erectus, ſpicatus, floribus flauescentibus n. 166. p. 125.
Aſtragalus non ramoſus, villoſus et incanus, ſpicatus, floribus purpureo violaceis. n. 167. p. 126.
Aſtragalus Tragacanthae folio, non ramoſus, floribus luteis. n. 168. p. 127.

Aſtra-

Aſtragalus acaulos, floribus amplisſimis. n. 169. p. 128.
Aſtragalus repens, Barbae Iouis foliis, acaulos ferme, polyanthos. n. 170. p. 129.
Aſtragalus Kirgiſicus montanus, flore in capitulis ad foliorum alás cylindricis, hirſutis, luteo, odoratus. n. 171. p. 130.
Aſtragaloides elatior, erecta, Viciae foliis, floribus luteis, ſiliquis pendulis. n. 148. p. 111.
Aſtragaloides hirſuta minor, non ramoſa, floribus purpurascentibus. n. 149. p. 111. t. 19. f. 1.
Aſtragaloides incana, non ramoſa, floribus carneis. n. 150. p. 113. t. 19. f. 2. 2.
Atriplex montana, ramis late ſparſis, fruticoſa, longo anguſtiſſimo folio, rigido, pungente, ſemine in thyrſulis ramorum imbricatis vel ſquarroſis, nigro. n. 229. p. 161.
Atriplex montana, incanescens, latiusculo folio, non ſinuato, fructu in thyrſulis ſquarroſis nigricante, paruulo. n. 230. p. 162.
Atriplex ramoſa, Hyſſopi foliis craſſiusculis, in ſpicam ſquarroſam congeſtis, ſemine ad foliorum vnguiculos nudo, ouato, plano, majore. n. 231. p. 162.
Atriplex montana, procerior, ramoſiſſima, folio ſinuato. n. 232. p. 162.
Atriplex altiſſima, roſea, foliis ſplendentibus. n. 233. p. 162.

B.

Ballote inodora, foliis Coronopi. n. 60. p. 48. t. 8.
Ballote foliis Geranii batrachioidis. n. 59. p. 47.
Betula cortice ſcabro, hinc inde nigro. n. 258. p. 179.
Betula pumila foliis ſubrotundis. n. 259. p. 180.
Bidens Daurica, ſaxatilis, foliis Apii vel Cicutae magis, flore luteo nudo, ſemine Scandicis inſtar longiſſimo, odorato. n. 206. p. 148.
Biſtorta montana, minor, radice modicum intorta, anguſto folio, floſculis in ſpicae cacumine albis, ſterilibus, inferna ſpicae parte tuberculis prolificis, turbinatis, puniceis foecunda. n. 243. p. 169.
Blitum fragiferum maximum, polyspermon. n. 239. p. 166.

C.

Campanula ſpicata, Scorodoniae folio. n. 14. p. 10.
Campanula Vrticae anguſtioribus foliis, glabris rigidisque. n. 15. p. 10.
Campanula Vrticae foliis, glabra, floribus ampliſſimis, pendulis. n. 16. p. 11.
Campanula Vrticae foliis glabra, floribus minoribus, pendulis. n. 17. p. 11.

Cam-

Campanula foliis Vrtice vna cum fructu verticillatis. n. 18 p. 12.
Calceolus purpureus, ſpecioſus. n. 176. p. 132. t. 21.
Calceolus minor, flore vario. n. 177. p. 133. t. 22.
Cannabis erratica montana, procera, Daurica, folio minore, ſemine Lupulino ſimili, paruulo, guttato. n. 250. p. 174.
Cardiaca foliis tenuius et profundius inciſis, glabra. n. 62. p. 49.
Cardiaca foliis tenuius et profundius inciſis, villoſa. n. 63. p. 50.
Caryophyllus ſylueſtris, anguſto breui folio, floribus minoribus, tenuiter laciniatis, purpureis, ſimplicibus. n. 123. p. 94.
Caſia fructu nigro. n. 256. p. 178.
Caſſida montana, anguſtifolia, alba, ſemine nigro. n. 51. p. 41.
Caſſida latifolia, Menthae facie, ſemine flauicante. n. 52. p. 41.
Caſſida Moldauicae folio. n. 53 p. 42.
Caſſida montana, foliis oblongis, non crenatis. n. 54. p. 42. t. 6.
Caſſida montana, foliis oblongis, crenatis. n. 55. p. 43.
Chamaeceraſus fructu gemino, rubro, foliis glabris, cordatis. n. 262. p. 184.
Chamaejasme. n. 24. p. 16. t. 2.
Chamaerhododendros folio glabro, majusculo, amplo flore roſeo. n. 261. p. 181. t. 27.
Chenopodium humile, non ramoſum, Lini folio laeui. n. 234. p. 164.
Chenopodium fruticans, ramoſiſſimum, confertis Lini foliis, ſemine partim purpuraſcente, partim nigro, ſplendido. n. 235. p. 164.
Chenopodium frutescens, Sedi folio minimo, villoſo, caulibus corallinis. n. 236. p. 165.
Chenopodium oblongo integro folio, floribus paniculatis. n. 237. p. 165.
Chenopodium altiſſimum, botryoides. n. 238. p. 165.
Chaerophyllum perenne, Cicutae folio, ſeminibus asperis. n. 120. p. 93.
Cirſium caule crispo, foliis laciniatis, ſubtus tomentoſis. n. 182. p. 137.
Cirſium elatius, polycephalon, glabrum, foliis imis laciniatis, ſuperioribus integris. n. 183. p. 138.
Cirſium polycephalon, tomentoſum et incanum, foliis longioribus, anguſtis, vndulatis. n. 184. p. 138.
Cirſium polycephalon, tomentoſum et incanum, foliis breuioribus, laciniatis. n. 185. p. 139.
Cirſium Salicis folio, ſubtus tomentoſo. n. 186. p. 139.
Cirſium procerum, folio profunde ſerrato, vtrinque virente, laceae capitulis minoribus, fibroſa radice. n. 187. p. 140.

Cli-

Clematitis erecta, foliis anguſtis Cornu Ceiui diuiſura. n. 108. p. 82.
Clinopodium ſupinum incanum. n. 66. p. 51.
Cnicus acaulos, polyanthos, purpureus, Aſphodeli radice eſculenta. n. 188. p. 140.
Convolvulus montanus, humilior, Altheae folio, acuto et aurito, teſta ſeminis bicapſulari. n. 5. p. 5.
Convolvulus ramoſus, erectus, argenteus, minimus. n. 6. p. 5.
Conyza Cichorii et Perſicae foliis, purpurascente flore. n. 189. p. 140.
Conyza tomentoſa et incana, floribus luteis, vmbellatis, Echii Scorpioidis folio. n. 190. p. 141.
Conyza humilior, glabra, Linariae foliis, floribus luteis, vmbellatis. n. 191. p. 141.
Conyza Lini foliis asperis, rigidis et neruoſis, floribus luteis, vmbellatis. n. 192. p. 142.
Coris juncea, aphyllos. n. 46. p. 34. t. 5.
Cornus ſylueſtris, fructus albo. n. 277. p. 198. t. 32.
Cornu foliis Citri anguſtioribus. n. 278. p. 200. t. 33.
Coryspermon glabrum, majus, longiſſimis foliis. n. 225. p. 158.
Cotula montana, Peucedani folio rigido, floribus in corymbo nudis, luteis, Daurica. n. 224. p. 158.
Crataegus Ceraſi foliis, floribus magnis. n. 274. p. 195. t. 31.
Cruciata Daurica, ſcandens, Smilacis folio, aspera, flore luteolo, fructu majori, rubro. n. 19. p. 12.
Cruciata Daurica, ſcandens, Smilacis folio, aspera, flore luteolo, fructu majori, nigro, ſuccido. n. 20. p. 13.
Cruciata longifolia, glabra, bacca gemella, laeui. n. 21. p. 13.
Cymbaria. n. 47. p. 35. t. 1. f. 2.
Cytiſus ſaxatilis, Mililoti folio ad caulem appreſſo, floribus in foliorum alis, pluribus confertim, exiguis, albidis. n. 281. p. 203.

D.

Dimorphotheca Calthae aruenſis folio, altera n. 222. p. 157.
Dryopteris Rubum Idaeum ſpirans, n. 251. p. 174.
Dſongilgah Tatarorum graminifolia, bulboſa radice, flore liliaceo, purpureo, monanthos. n. 141. p. 107.

E.

Echinopus vulgaris major, latiore folio inciſo, parum aculeato, ſubtus incano, floribus in capitulo globoſo inermi, caeruleis. n. 207. p. 148.
Ephedra minima, flagellis breuioribus et tenuioribus n. 254. p. 176. t. 26.
Ephedra monospermos. n. 255. p. 178.

F.

Fagopyrum erectum, fructu aſpe- ro. n. 242. p. 168.
Filicaſtrum ſeptentrionale et pa- luſtre. n. 252. p. 175.
Fragaria ſterilis, procumbens, fo- liis Betonicae inſtar ſerratis. n. 109. p. 83. t. 14.
Fragaria ſterilis, molli lanugine pubeſcens. n. 110. p. 84.
Fragaria ſterilis, folio ſubtus ar- genteo. n. 111. p. 85.
Fumaria tenuifolia, floribus luteis. n. 173. p. 130. t. 20.

G.

Galeopſis longifolia, villoſa et in- cana. n. 61. p. 49.
Geniſta non aculeata, flore albo, ſi- liquis ſplendentibus, verrucoſis. n. 280. p. 203.
Gentiana cruciata ſupina, minor, anguſtifolia, floribus azureis. n. 1. p. 1.
Gentiana caerulea, florum margi- nibus piloſis, foliis anguſtiſſimis, gramineis. n. 2. p. 1.
Geum ſaxatile, rotundifolium, majus, flore purpureo. n. 90 p. 70.
Gramen myoſyroideum, ramoſum, ſpica tenuiſſima, nigricante. n. 245. p. 170.
Gramen auenaceum, panicula hete- romalla, locuſtis ampliſſimis. n. 246. p. 171.
Groſſularia Daurica, montana, Vuae criſpae folio et facie, fructu Ri- bes in ramulis conglobatis, rub- ro, minore, ſubdulci. n. 276. p. 198.

H.

Hedyſarum ſaxatile, ſiliqua laeui, floribus purpureis, inodorum. n. 152. p. 116.
Hedyſarum ſaxatile, ſiliqua laeui, floribus albis, inodorum. n. 153. p. 116.
Hedyſarum triphyllum, floſculis albis, polyanthos, ſilicula laeui. n. 154. p. 116.
Hedyſarum villoſum, argenteum, non ramoſum, floribus ſpicatis, purpureo violaceis. n. 155. p. 118.
Helleborus Fumariae foliis. n. 100. p. 74. t. 12.
Helleborus Aconiti folio, flore globoſo, croceo. n. 101. p. 76.
Heſperis piloſa, minor, anguſti- folia, floribus amplis, purpu- reis. n. 73. p. 55.
Heſperis minima, anguſtifolia, in- cana et piloſa, floribus albis. n. 74. p. 55.
Heſperis, hirta, pumila, an- guſtiſſimis foliis, floribus pur- puraſcentibus. n. 75. p. 55.
Heſperis anguſtifolia, incana, flo- ribus amplis, luteis, ſiliquis longioribus. n. 76. p. 56.

Hes-

Heſperis anguſtifolia, incana; floribus amplis, luteis, ſiliquis breuioribus. n. 77. p. 57.
Heſperis Piloſellae folio, hirſuta, ſiliquis breuibus, corniculatis. n. 78. p. 58.
Hieracium folio caulem amplexante, oblongo, integro, piloſo. n. 208. p. 148.
Hieracium folio caulem amplexante, ſubrotundo, dentato, glabro. n. 209. p. 149.
Hieracium aphyllocaulon, hirſutum, floribus ſpicatis. n. 210. p. 149.
Harmala montana, Daurica, perennis, multicaulis, Polygalae folio, albo flore. n. 91. p. 70.
Harmala montana, Polygalae foliis, floribus luteis. n. 92. p. 71.
Hypecoon tenuifolium, ſiliquis erectis, teretibus. n. 80. p. 58. t. 9.

I.

Iacea Salicis folio, ſubtus lanugi-noſo et incano, Serratulae capitulis. n. 178. p. 134.
Iacea ramoſiſſima, incana, Linariae foliis. n. 179. p. 135.
Iacea nemoroſa, montana, folio integro, carnoſo, rigido, floribus purpureis. n. 180. p. 136.
Iacobaeaſtrum Cacaliae folio. n. 221. p. 155. t. 24.
Iris paluſtris procera, anguſtifolia, caerulea, teſta ſeminali non roſtrata, turgida, ſpadicea. n. 133 p. 101.
Iris humilis, anguſtifolia, caerulea, teſta ſeminali non roſtata, alba. n. 134. p. 103.
Iris dichotomos, latifolia, variegata, procerior, flore paruulo. n. 135. p. 103.
Iris latifolia, dichotomae latifoliae flore paruo, rubeo, variegato, teſta ſeminali oblonga, non roſtrata, ſtrictiore, alba. n. 136. p. 104.

L.

Lactuca Salicis folio, flore caeruleo. n. 211. p. 150.
Lactuca Salicis folio, ſerrato, flore caeruleo. n. 212. p. 150.
Lapathum Dauricum, montanum, fruticans, ramis late ſparſis, folio oblongo, anguſto, plano, rigidiuſculo, arrecto; ſemine in longis flagellis magno. n. 227. p. 161.
Lapathoides. n. 228. p. 161.
Lathyroides. n. 151. p. 114. t. 7. f. 2.
Lauendula montana, folio Valerianellae varie ſecto, caerulea. n. 69. p. 53.
Leucanthemum montanum, foliis profunde inciſis, flore majore, minus odoro. n. 223. p. 157.
Leucoium fruticoſum, latifolium, albo flore, ſeminibus in ſiliqua, longa

longa, compreſſa, orbicularibus, emarginatis, rufis. n. 72. p. 55.
Lichen coralloides, fruticoſus, terreſtris, paruus, flauescens, denſiſſime ramificàtus. n. 253. p. 176.
Lilium reflexum, montanum, humile, anguſtifolium, aurantium. n. 138. p. 105.
Lilium montanum, floribus reflexis rubris, purpureis maculis inſcriptum, folio anguſtiore. n. 139. p. 106.
Limonium fruticoſum, glabrum, floribus in capitula congeſtis. n. 127. p. 95.
Limonium elatius, floribus paruis, denſe congeſtis, azureis n. 128. p. 96.
Limonium elatius Plantaginis foliis procumbentibus, in aculeum terminatis, floribus albis, in capitula congeſtis. n. 129 p. 97.
Limonium elatius, Plantaginis foliis procumbentibus, in aculeum terminatis floribus albis, ſpicatis. n. 130. p. 99.
Limonium humile, montanum, longiusculo Bupleuri folio, annuum, calycibus florum argenteis. n. 131. p. 100.
Limonium montanum, humile, Ephedrae facie, calycibus florum aureis. n. 132. p. 100. t. 18. f. 2.
Limonium elatius, longis et admodum tenuibus flagellis, floribus minimis, albis. n. 126. p. 94.
Linaria Iſatidis folio, flore luteo. n. 40. p. 31.
Lotus montana, humilior, trifolia, ad caulem alata, lutea, filiqua modo recta, modo Medicaginis inſtar falcata, nigra, ſemine luteo. n. 156. p. 119.
Lotus montana, erecta, oblongo et anguſto folio, paruulo et ſiliqua Meliloti, ſepto oblique transuerſo diuiſa, bicapſulari, ſemine vtrinque bino. n. 157. p. 119.
Lupinaſter floribus purpureis, ſiliquis minoribus. n. 143. p. 107.
Lychnis viscoſa, foliis in longo petiolo anguſtis et minoribus, ad radicem copioſis, flore muscoſo albo. n. 124. p. 94.
Lychnis procera, Caryophylli folio, flore exiguo albo. n. 125. p. 94.
Lyſimachia lutea, Salicis folio. n. 28. p. 20.

M.

Melilotus ſupina, latifolia, ſiliqua lata, membranacea, compreſſa. n. 158. p. 119.
Melilotus ſupina, anguſtifolia, Medicae facie, ſiliqua compreſſa. n. 159. p. 120.
Melilotus montana, minore folio, floribus longa ſerie luteis, ſemine luteolo. n. 160. p. 120.
Melo rotundifolius, fructu longiſſimo, tereti, non ſulcato. n. 12. p. 8.

Melo,

Melo rotundifolius, fructu oblongo, tereti, non ſulcato, ex flauo et viridi colore vario. n. 13. p. 9.

Menispermon Tamni foliis. n. 118. p. 92.

Meſpilus folio rotundiori non ſerrato, fructu nigro. n. 279. p. 201.

Moldauica minor, canescens, Chamaedryos folio. n. 56. p. 43. t. 7. f. 1.

Moldauica Betonicae folio, floribus minoribus, caeruleis, pendulis. n. 57. p. 44.

Moldauica Betonicae folio, floribus minimis, pallide caeruleis. n. 58. p. 46.

Myrrhis ramoſa, Chaerophylli folio, flore albo, ſemine ſpadiceo, oblongo, tumido, ſtriato, glabro. n. 121. p. 94.

N.

Naſturtium humile, ramoſiſſimum, oblongiusculo et anguſto folio, integro, flosculis luteis. n. 71. p. 54.

O.

Oreoſelinum Apii folio, ſemine niueo, majusculo. n. 122. p. 94.

Ornithogalum pumilum, graminifolium, luteum. n. 140. p. 106.

Orobus hirſutus, anguſtifolius, floribus luteis. n. 145. p. 109.

Orobus hirſutus, anguſtiſſimis foliis, floribus luteis. n. 146. p. 110.

P

Papauer erraticum, luteo flore, capite oblongo, hiſpido. n. 81. p. 61.

Papauer erraticum, luteo flore, capite oblongo, laeui. n. 82. p. 63.

Pedicularis humilior, foliis tenuiſſime diuiſis, floribus ſpicatis, purpureis. n. 41. p. 32.

Pedicularis elatior, latifolia, floribus purpureis. n. 42. p. 32.

Paeonia lacteo flore, foliis vtrinque viridantibus et ſplendentibus. n. 103. p. 77.

Pentaphylloides foliis tenuiſſime laciniatis, flosculis carneis. n. 112. p. 85. t. 15.

Pentaphylloides humile, foliis anguſtiſſimis. n. 113. p. 86. t. 16.

Pentaphylloides fruticoſa, elatior, minus hirſuta. n. 114. p. 88. t. 17.

Pentaphylloides fruticoſa, humilior, lanuginoſa et incana. n. 115. p. 89. t. 18. f. 1.

Pentaphylloides ſupinum, minus, folio glabro, non ſerrato. n. 116. p. 91.

Pentaphylloides ſupina, minor, foliis alatis, hirſutis, varie diſſectis. n. 117. p. 92.

Perſicaria montana, foliis longioribus et anguſtioribus, floribus racemoſis. n. 240. p. 167.

 Pha-

Phalangium Veratri foliis. n. 137. p. 105.
Phlomis Hormini folio, floribus paruis, ſuaue rubentibus, villoſiſſimis. n. 48. p. 39.
Phlomis Vrticae foliis, glabra. n. 49. p. 40.
Phlomis Hormini folio anguſtiore, ſubtus incano, flore minori, purpurascente. n. 50. p. 41.
Pimpinella maxima, foliis longioribus, anguſtioribus, profunde dentatis, floribus albis. n. 37. p. 27.
Pinus ſatiua, cortice fiſſo, foliis ſetoſis, ſubrigidis, ab vna vagina non binis, ſed vtplurimum quinis, cono nuculisque quam in Hispanica minoribus. n. 257. p. 178.
Plantago maxima, foliis latiſſimis, dentatis, rigidioribus, ſpica breui, denſa. n. 23. p. 15.
Polygala multicaulis, longius radicata, floribus ex foliorum alis. n. 43. p. 33.
Polygala multicaulis, anguſtiſſimis foliis, floribus carneis. n. 44. p. 34.
Polygala ramoſa, anguſto praelongo folio, flore caeruleo, pulcherrime fimbriato. n. 45. p. 34.
Polygonum montanum, erectum, procerius, flagellis late ſparſis, longiſſimis, calyculis rubentibus. n. 241. p. 168.
Porrum montanum, Asphodeli folio, floribus in capitulo maiori, rubeis. n. 142. p. 107.
Pulſatilla Anemones folio diſſecto, lanuginoſa, flore majore, dilute luteo, patente. n. 104. p. 79.

Q

Quadruncinata. n. 3. p. 2.

R

Ranunculus paluſtris, folio Plantaginis, luteus. p. 103. n. 79.
Ranunculus repens, gramineis foliis, e ſingulis geniculis radices agens. n. 106. p. 80. t. 13. f. 1.
Ranunculus repens, flore in caule ſingulari, foliis varie ſectis. n. 107. p. 81. t. 13. f. 2.
Ribes polycarpos, Groſſulariae fructu. n. 275. p. 197.
Rhabarbarum folio longiori, hirſuto, criſpo, florum thyrſo longiori et tenuiori. n. 9. p. 7.
Rubus trifolius, humilis, non ſpinoſus, ſapore et odore Fragariae, fructu rubro, polycocco, Rubo idaeo ſimili. n. 263. p. 185.
Ruyſchiana glabra, foliis integris. n. 64. p. 50.
Ruyſchiana hirſuta, foliis laciniatis. n. 65. p. 50.

S

Salicaria glabra, longioribus et anguſtioribus foliis. n. 88. p. 69.

Salicaria glabra, ramoſiſſima, longiſſimis et anguſtiſſimis foliis. n. 89. p. 69.
Scorzonera Alpina; gramineo folio; anguſto; flore luteo, humilior. n. 213. p. 151.
Scophularia montana; humilis, anguſto, ſerrato; craſſiuſculo folio, ſemine quam in nodoſa majore n. 39. p. 31.
Sedum minus; repens; Chamaedryos foliis, e ſingulis foliorum alis radices agens. n. 93. p. 71.
Sedum Cotyledonis facie, floribus carneis. n. 94. p. 72.
Sedum Cotyledonis facie, floribus luteis. n. 95. p. 73.
Serratula foliis laciniatis; capitibus magnis, lanuginoſis. n. 181. p. 136.
Serpyllum odoratiſſimum glabrum, longiore anguſtioreque folio n. 67. p. 52.
Serpyllumr amoſiſſimum, hirſutum, anguſtifolium, floſculis violaceis. n. 68. p. 52.
Solidago odorata; foliis oblongis criſpis; et laeuibus. n. 219. p. 154.
Solidago paluſtris, altiſſima; incana et tomentoſa; foliis longioribus; ſerratis. n. 220. p. 155.
Spinacia montana, alba; folio ſinuato; teſta ſeminis minore; aſperiuſcula; candida. n. 247. p. 172.
Spinacia montana; folio leuiter ſinuato, capſula ſeminis minore, aſperiuſcula; nigricante. n. 248. p. 172.
Spiraea Sorbi folio, tenuiter crenato; floribus in thyrſo albis. n. 264. p. 186.
Spiraea Salicis folio longiore, ſerrato; floribus rubris. n. 265. p. 186.
Spiraea Salicis folio breuiore; latiuſculo; crenato; floribus rubris. n. 266. p. 188. t. 28.
Spiraea foliis variis; per faſciculos congeſtis. n. 267. p. 188.
Spiraea foliis variis; hirſutis. n. 268. p. 189.
Spiraea Chamaedryos foliis. n. 269. p. 190.
Spiraea Hyperici folio ampliori; modo integro; modo dentato. n. 270. p. 191.
Spiraea ramoſiſſima; paruo; ſubrotundo Opuli folio. n. 271. p. 191.

T.

Tanacetum foliis vulgaris Tanaceti minoribus et tenuioribus; grati odoris. n. 205. p. 147.
Thalictrum Aquilegiae folio; caule fiſtuloſo; viridi; maximum, capſula ſeminis triquetra; laeui, turgida; pendula. n. 98. p. 74.
Thalictrum minimum; ſaxatile, odore graui; ſemine ſtriato. n. 99. p. 74.

Tithy-

Tithymalus Salicis folio anguſto, villoſo et incano, non ſerrato. n. 7. p. 6.

Tithymalus Salicis folio tenuisſime ſerrato, glabro. n. 8. p. 7.

Triticum rufum, Sinenſe, grano maximo. n. 244. p. 170.

Turritis latifolia, hirſuta, ſiliquis pendulis. n. 79. p. 58.

V.

Vlmaria foliis profunde laciniatis. n. 97. p. 74.

Vlmus humilis. n. 260. p. 180.

Vrtica foliis profunde laciniatis, ſemine Lini. n. 249. p. 173. t. 25.

Valeriana lutea, humilis. n. 25. p. 18. t. 3.

Valerianella procera, folio varie ſecto, ſemine galericulato. n. 26. p. 19.

Valerianella nemoroſa, repens, foliis Vitis Idaeae minoribus, flore ſubrubente, ſemine vmbilicato, hirſuto, oblongo. n. 27. p. 19.

Veronica ſpicata, altiſſima, foliis verticillatim diſpoſitis. n. 29. p. 20. t. 4.

Veronica ſpicata, lanuginoſa et incana, floribus caeruleis. n. 30. p. 21.

Veronica ſpicata, Bugulae ſubhirſuto folio, albo et carneo flore. n. 31. p. 23.

Veronica anguſtifolia, floribus paniculatis. n. 32. p. 24.

Veronica frutescens, Abrotani foliis, floribus carneis. n. 33. p. 25.

Veronica ſpicata, longifolia, altera. n. 34. p. 26.

Veronica ſpicata, V rticae folio. n. 35. p. 26.

Veronica ſpicata, longis, alternis foliis, caerulea. n. 36. p. 27.

Viola folio Bellidis, flore rubello, vel pallide purpureo. n. 172. p. 130.

ERRATA.

Pag. 7. lin. 8. loco TITYMALUS lege TITHYMALUS; folis, folio.
- 55. - 4. HEPERIS, HESPERIS; lin. 22. matures, maturas.
- 63. - 4. differte, leg. differre
- 94. n. 124. LYCHIS, leg. LYCHNIS.
- 119. n. 157. lin. 3. ſemina, leg. ſemine.
- 158. CORYSPERMON leg. CORISPERMON.
- 167. l. 12. imprimis, leg. in primis.
- 168. n. 141, 142, leg. 241, 242.
- 180. n. 206, leg. 260.
- 203. et ſequ. ASPHALATHUS, leg. ASPALATHUS.
- 208. lin. 19. fluuiis, leg. fluuios.